SERIES
ACTORVM OMNIVM
In Canonizatione
SANCTI THOMÆ
A VILLANOVA,

Cognomento Eleemoſynarij,
Ex Ordine Eremitarum S.P. Auguſtini,
Archiepiſcopi Valentiæ,

A' S.MO D.N. ALEXANDRO VII. P.O.M.
In Sanctorum Album adſcripti,

Ipſo omnium Sanctorum feſto, anno 1658.



ROMAE, Ex Typographia Reu.Cameræ Apoſt. 1658.

Superiorum permiſſu.

Adm. RR. PP. ac Fratribus PROVINCIAE NOSTRAE ARAGONIÆ Ordinis Eremitarum S.P.Augustini in Domino salutem.

Pis quidem, & religiosè desideratis cognoscere, quo tenore Sacrum Consistorium, tum publicè, tum priuatim approbarit, vt magnus ille Valentiæ olim Archiepiscopus Sanctus Thomas noster à Villanoua Sanctorum fastis adscriberetur; quoque demu festiuitatis ritu Sacra adscriptio sit peracta. Cui vestræ pietati, vt fiat satis, prælo iudicauimus esse opus, quo ceu publico interprete ad apicem perdiscatis puram-putam veritatem, nō aliunde, quàm ex ipsa actorum serie deprompram: non alio decore, quàm suo vestitam. In hac igitur actorum specie, quam exhibemus, velut in ipso Consistorio, velut in ipsa Sanctorum Apostolorum Basilica videre vobis, & audire videamini quicquid vtrobique Roma vidit, & audiuit., non solùm ab ipso Beatificationis exordio, sed etiam vsque ad sanctæ Canonizationis coronidem. Quod dum facitis veneramini in primis Sanctissimi D. N. D. ALEXANDRI VII. P. O. M., totiusque S. Congreg. erga Sanctum Parentem Augustinum, augustum eius in Christo filium Patrem Pauperum Thomam, & Religionem *nostram Augustinianam, affectum præstantissimum, vt potè qui, dum pro Sacra Canonizatione ad Sanctos pedes supplicabamus, præter*

cætera

cætera singularis beneuolentiæ signa, nostram S. P. Augustini Religionem asseruit esse suam; suam vtique, à vita, dilectione, & tutela. Celebratis pariter Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Francisci Mariæ Phœbei Sacrorum Rituum Congregationi à Secretis gratissimum, quod Religioni præstare potuit, obsequium, eiusque pro Votis suis deuotissimam, qua Sanctum Thomam prosequitur clientelam. Ille nimirum sicut totam huiusce rei prouinciam quasi suopte pietatis zelo resumpsit, sua cura promouit, adornauit: ita denique ex suis annotationibus ad verbum præscriptam (sed quia ex Archiuio identidem à Nobis rogatus) in lucem dari non abnuit; pro quo tam singulari beneficio gratiam semper debebimus, nunquam dicturi satis. Quare vestræ pietatis plurimùm interest, Sanctissimum Dominum Nostrum, cum toto Purpuratorum Patrum cœtu, & affectuosissimum nobis Illustrissimum D. Secretarium vestris precibus ad Sancti Thomæ sepulcrum habere commendatos. Cæterum nostri quoque estote memores, qui, quas debemus nostris hic Benefactoribus, & Patronis grates, sedulo humanitatis officio, reeddere allaboramus. Ita benè in Domino valete. Romæ apud S. Augustinum de Vrbe die 25. Nouembris 1658.

Vestrarum PP. RR.

Seruus in Domino

Fr. Andreas Aznar
Assistens Generalis Hispaniæ.

Aduenit



Duenit tandem illius plenitudo temporis, in quo Dominus in seruo suo Thoma de Villanoua sibi benè complacens, eum iam in cœlesti Hierusalem cum Angelis, & Sanctis æterna corona redimitum, in hac terrena Syon, & militanti Ecclesia, solemni de inimicis debellatis, & mundo, carne, ac inferno deuictis, declaratione donandum, & Sanctorum Catalogo decreuerat adscribendum. Omnipotens enim à temporibus Pauli V. fel. record. Serui sui in paucis fidelitatem, iustitiam, rectitudinem, immaculatam vitam, virtutes heroicas, facta irreprehensibilia, miracula patrata humanis probationibus abundè Ecclesiæ patefieri concesserat; sed adhuc idem ipse, qui vbi vult, & quando vult, spirat, solemni horum iudicio, non nisi per eiusdem Dei Oraculum, hoc est per Pontificis definitionem præstando, carere permiserat: sed non sinè vsura, & dilectissimi Serui sui maioris gloriæ accessione; sic enim tandem Thomæ Sanctitas prima omnium, post nouissima san. me. Vrbani Octaui, Decreta; rursus humano Iudici se se sistens, & grauiori sub trutina iteratò pressa, quò diutiùs rigoroso examine exagitata, eò clarior præ cæteris coruscaret, & gloriosior maneret eam de labore Triumphus. Postquam enim Sacrorum Rituum Congregatio die 28. Martij 1656. coram Sanctiss. D. N. ALEXANDRO Diuina prouidentia Papa VII., eoquè assentiente, declarasset, constare de Miraculis etiam post indultam eidem Beato venerationem, eius intercessione peractis, & causa iam perfecta, nil aliud desiderandum restaret, nisi, vt Sanctitas Sua, Spiritus Sancti afflatu mota duceretur ad solemnem Canonizationem tot lustris optatam, totquè Principum obsecrationibus diù expetitã, peragendam; Ego quidem in insignem Thomæ Charitatẽ obsequẽtissimus, multoties intra biennij spatia prolixa Thomæ merita, Causã eius iam absolutã, Christianæ Reip. vota pijs Pontificis auribus admouere non destiti: sed Deo, cuius cõsilia, in exaudiendis Creaturarum suarum voluntatibus, incõprehensibilia sunt, preces meas nõ attendente, nec suauissima sua vi intus adhùc trahente cor prudentissimi Pontificis, qui non nisi ex Dei instinctu regitur, vt tantæ rei exoptatissimũ finẽ imponeret,

 irriti

irriti mei conatus euaſere; itaùt non ſemel, penitus iam fruſtratum, commune deſiderium ingemuerim. Tandem quadam die paginam Sanctiſſimo exhibui tenoris, vt ſequitur, vt inde, quicquid actum fuerat in eadem cauſa, Suæ Sanctitati plenius innoteſceret.

Beatiſsime Pater.

Natus eſt Thomas de Villanoua in Oppido de Fuellana Toletanæ Diœceſis ex Alphonſo Thoma Garzia, & Lucia Martinez Nobilioribus Oppidorum Villanouæ de los Infantes, & Fuellanæ gentibus anno 1488.

A puerili ætate non obſcura dedit Sanctitatis indicia, ſiquidem ientacula, ac veſtes, quibus indutus erat, pauperibus largiebatur.

Conſtitutus in vigeſimo ſecundo ætatis anno, ad Vniuerſitatem Compluteaſem profectus, ad omnium liberalium Artium, ac præcipuè Sacræ Theologiæ ſtudia incumbens, quod ei ſupererat temporis, aſſiduis fundendis Deo precibus impendebat.

Annum agens vigeſimum ſeptimũ die 24. Nouembris 1516. defuncto iam Patre, ac diù exorata annuente Matre, Hoſpitali pudicarum Mulierum integrum patrimonium addixit, & Ordini Eremitarum Sancti Auguſtini nomen dedit.

Sequenti anno in ea Religione profeſſionem emiſit, & biennio nedum elapſo Prior Conuentus Salmantini, ac ſubinde Prouincialis, & Definitor diuerſarum Prouinciarum ſuffectus, ea vitæ integritate, eaque prudentia munia prædicta expleuit, vt

Anno 1544. à Carolo V. Archiepiſcopali Eccleſiæ Valentinæ nominatus eſſet; at oblatam Dignitatem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis iuſſus, quamuis inuitus, accepit; Vitamque prorſus Angelicam ducens, ieiunijs, ac precibus aſſiduè vacans, humi ſuper vitium faſciculis quieſcebat: ac pingues Eccleſiæ reditus, demptis tantum ad victum ſui, honeſtæq; familiæ perneceſſarijs, pauperibus diſtribuebat: adeòut Patris pauperum nomen, non immeritò fuerit conſecutus.

Anno tandem 1555. 8. Septembris ad Cœlum euolauit; Eiuſdemque interceſſione, tanta dignatus eſt Deus operari miracula,

raculá, vt Processibus in genere, & in specie, Apostolica auctoritate desuper compilatis, & mox in Sac. Rit. Congregatione discussis, die 21. Iulij 1618. eadem Congregatio declarauerit, constare de Processuum eorumdem validitate, & releuantia, quoad quatuor priora miracula, nempe Resurrectionis duorum puerorum, sanationis carcinomatis, & sanationis plagarum : & die 18. Augusti eiusdem anni pronunciauerit, probari insuper alia quatuor miracula, scilicet sanationis claudi, sanations vlcerum, liberationis à paralysi, & sanationis ophthalmiæ.

Ob idquè admissa etiam plenissima probatione virtutum in gradu heroico, famæ sanctitatis, & frequentiæ populi ad eius sepulchrum, necnon repetitis miraculorum operatione, & approbatione, Sac. Rit. Congregatio die 7. Septembris 1618. censuit, posse quandocumq; Sanctissimo videretur, Dei seruum declarari Beatum, ac propterea singulis annis die 18. Septembris in toto Regno Valentiæ ab vtriusque sexus Religiosis eiusdem Ordinis, & in Ciuitate Valentina, vbi corpus quiescit, ac in Diœcesi, cui per vndecim annos præfuit, etiam ab omnibus vtriusq; sexus Secularibus, & Regularibus Officium, & Missam respectiuè de eodem Beato è Commun. Confess. Pont. sumenda, recitari, ac celebrari pariter concedi posse; cui decreto Paulus V. annuit, ac desuper litteras Apostolicas datas die 14. Septembris eiusdem anni 1618. expediri mandauit.

Die verò 19. Augusti 1619. Sac. Rit. Congregatio ad preces Philippi III. Regis Catholici, huiusmodi Indultum recitandi, ac celebrandi Officium, & Missam de Beato Thoma, decreuit extendendum ad omnes Religiosos Augustinianos in Regnis Castellę, Aragoniæ, & Cataloniæ degentes, necnon ad vtrumq; Clerum Oppidi Villanouæ de los Infantes.

Subindè die 30. Martij 1621. Sac. eadem Congregatio, ad preces eiusdem Regis Catholici, censuit facultatem prædictam etiam extendi posse ad omnes Religiosos Augustinianos vbiquè Terrarum existentes, idquè Gregorius XV. approbauit die 19. Aprilis eiusdem anni, ac desuper litteras Apostolicas datas die 14. Maij iussit expediri.

Posteà die 6. Septembris 1621. repetitis in Sacra Congregatione notione, & approbatione eorumdem Miraculorum,

necnon alijs duobus Miraculis insuper approbatis, nempè concessionis lactis, & sanationis à podagra, Sac. eadem Congregatio censuit, posse ad solemnem Canonizationem quandocumq; tutò deueniri, sequenti edito decreto.

Valentina.
B. Thomæ de Villanoua.

Discussa diligenter, & maturè perpensa, de mandato Sanctiss. D.N. in ordine ad Canonizationem causa B. Thomæ de Villanoua Ordinis S. Augustini Archiepiscopi Valentini, Congreg. Sac. Rit. pluribus desuper habitis sessionibus, Illustrissimo Card. Millino referente, censuit tutò posse Sanctissimum Dominum Nostrum, quandocumquè sibi libuerit, ad solemnem eiusdem B. Thomæ Canonizationem iuxta S. R. E. Ritum, & Sac. Canonum dispositionem, deuenire, eumque definire Sanctum cum Deo regnantem, atque vniuersali Ecclesiæ proponere colendum, & venerandum.

Superuenerunt deinde noua Decreta Vrbani Octaui, & siluit causa eiusdem Beati vsque ad annum 1649.

Quo anno die 13. Iulij facta fuit omnium præmissorum relatio, & die 15. eiusdem fuit signata Commissio reassumptionis causæ in statu, & terminis, in quibus tunc eadem reperiebatur.

Die 24. eiusdem in Relatorem causæ fuit deputatus Cardinalis Cornelius, eique die 21. Augusti cura demandata est, sumendi probationes super casu excepto.

Quibus visis, atque discussis, die 25. Septembris declaratum fuit, constare, B. Thomæ cultum exhibitum fuisse, ac exhiberi ex Indultis Pauli Quinti, & Gregorij XV. ideoquè casum comprehendi in exceptis à Decretis Sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis.

Die 16. Nouembris demandatum est examen operum ab eodem Beato editorum Card. Cornelio, adhibitis Patribus Hilarione, & Alciato.

In Congregatione habita die 7. Martij 1650. pronunciatum fuit,

fuit, nihil in prædictis operibus contra fidem, & bonos mores: nec aliquam doctrinam nouam, & à communi Ecclesiæ sensu alienam contineri.

Ob idquè die 6. Februarij 1652. fuerunt decretæ litteræ remissoriales ad probandũ, quæ tandem superuenerant, eæq; relaxatæ, ac directæ Archiepiscopo Valentino, necnon Episcopis Segobriceñ, & Derthuseñ die 2. Maij 1652.

Deinde die 8. Maij 1655. indultum fuit, vt ijdem processus ad Curiam transmissi aperirentur, qui, subrogato eadem die Cardinale Pallotto in locum Card. Cornelij è viuis erepti, discussi fuere in Congregatione peracta coram Sanctitate Vestra die 28. Martij præteriti anni 1656. ac declaratum, constare de validitate, ac releuantia eorumdem Processuum, præsertim quoad duo miracula, scilicet sanationis deformis herniæ, & præseruationis puellæ à suffocatione sub aquis.

Ideò tantummodo superest implendum decretum Sac. Congregationis firmatum die 6. Decembris 1621. præuijs tamen infrascriptis solemnitatibus.

Reiteratis Principum, & Episcoporum instantijs, quæ ad Vrbem iam sunt allatæ, &. in dies desideratur accessus ad pedes Sanctitatis Vestræ, vt eidem possint humillimè præsentari; fiat in Sacra Congregatione relatio omnium, quæ in hac causa acta fuerunt.

In Consistorio Secreto mox eadem Relatio habeatur per Eminentissimum Cardinalem Sac. Congreg. Seniorem.

Eademquè in publico Consistorio per Aduocatum Consistorialem repetatur.

Ac tandem indicto, ac celebrato ieiunio, in Semipublico Consistorio audiat Sanctitas Vestra Cardinalium, & Episcoporum sententias, & ad solemnem Canonizationem, Spiritu Sancto afflante, in Catholicæ Ecclesiæ decus, deueniat.

Et quidem præter aliorum inuidiam, quorum causæ modò pẽdent in Sacra Congregatione, meritissimus omnium, post centum, & duos annos ab eius obitu, & in quadragesimo ab Indulta eidem veneratione, B. Thomas speculum ignitæ charitatis, & præcipuum Episcopalis dignitatis ornamentum, non immeritò post lapsum triginta ferè annorum, in quo Sedes Apostolica Sanctorum

ctorum albo neminem adscripsit, speratur in ipsum à Sanctitate Vestra, referendus.

Verùm quia adhuc ferè per annum desiderandum erit huiusmodi vniuersale fidelium solamen, licèt hodiè Sanctitas Vestra dignetur annuere, vt tantæ rei necessaria disponantur; imperare dignetur, quid Beatitudini Vestræ magis libuerit, dum ipse ad beatorum pedum oscula me humillimè abijcio.

Plurimi mox in graui silentio elabuntur dies, & interim mense Decembri 1657. ad Vrbem afferuntur litteræ Natæ Philippi IV. Hispaniarum Regis Catholici, Monialis in Regio Monasterio Matriti, quibus illa suo in Romana Curia Agenti nunciabat, se à vehementi dolore, ob spatulæ humeralis ægritudinem, in extremis positam, Thomæ Reliquiarum contactu, prorsus liberam euasisse; cuius rei fides penès ipsam auctricem dimittitur, cum aliundè facti eiusdem veritas minimè constet; tanti autem non immemor beneficij, supplici libello Sanctitatem suam enixè rogari iubebat, vt quotannis, in suo Monasterio festiuitatē B. Præsulis, officio duplici per octiduum celebrari, sibi, ac Monialibus ex benignitate Apostolica indulgeretur. Summus Pontifex libellum huiusmodi Sanctitati suæ porrectum, ad me transmitti imperauit, vt petitionis rationem suæ Beatitudini oretenus aperirem. Pareo, & Deus, inopinatò prorsus, cor Sanctitatis Suæ inclinauit ad faciendam iustitiam cum seruo suo; itaut, quod ipse repetitis officijs incassum suadere conatus fueram, tandem nec interposito verbo, Deo tantùm inspirante, obtinuerim. At non mirum, quòd vox exilis ex imo terræ prosiliens aures obtuderit, & in cor non ascēderit; donec Omnipotens Dei sermo à regalibus sedibus veniens, nec ad aures admotus cor intrinsecùs penetrasset. Stetit enim silens Sanctiss. ALEXANDER, multa, & quidem grauissima reuoluens animo, subindè collachrymans, teneris his verbis affatur. Vt quid officium B. Thomæ Oratricibus tantùm indulgere? dum insignia eiusdem Beati merita, pij affectus nostri in eum, & Diui Augustini dignissimam sobolem, multò maiora argumenta, plenissimo sibi iure à Nobis exigunt? Petitis, ac votis vltrò ampliora adijciemus; ab vniuerso enim Christiano Orbe colendum, tam gloriosum Præsulem Sanctorum Catalo-

go,

go, Deo dante, adſcribemus quantocius; iuſſit igitur, vt quæ ad hunc finem, ordine agenda manerent, explerentur, & in Congregatione generali, proximo vere, coram Sanctitate ſua de more habenda, Acta omnia in eadem cauſa per me ſyncera narratione exaranda, Eminentiſſimus Dominus cauſæ Relator, exponeret.

Statim idcircò domum regreſſus, Procuratorem Generalem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Fratrem Petrum Lanfranconium, necnon Aſſiſtentem Hiſpaniarum Fratrem Andream Aznar Procuratorem cauſæ Canonizationis Beati Thomæ admonui, Sanctiſſimum tandem, Deo inſpirante, ad ſolemnia Canonizationis B. Thomæ, præuijs de more peragendis, celebranda, ſuum animum induxiſſe, innuiquè, vt ſtatim in Hiſpanias litteras tranſmitterent, inde accepturi Regis, Præſulum, Regnorum, Vniuerſitatum, Procerum, & Accademiarum repetitas obſecrationes, necnon neceſſariam deſuper Regij Procuratoris deputationem ad peragendam Regio nomine inſtantiam die Canonizationis.

Interim proceſſibus in ſpecie tùm ante cum poſt indultam B. Thomæ venerationem compilatis, per me accuratè perlectis; de ſingulis, in quibus Sac. Congregatio, matura diſcuſſione præhabita, concludentes probationes haberi, declarauerat, integram relationem congeſſi: quò interim Procurator Generalis, & Aſſiſtens Cauſæ Procurator prædicti, ad Sanctiſſimũ detulerunt duas litteras Catholicæ Maieſtatis, necnon alias plurimorum Præſulum, & Vniuerſitatum Regnorũ Hiſpaniæ: acſi Sanctiſſimi mens iam ijs innotuiſſet, ex Hiſpania nouiſſimè ad Vrbem tranſmiſſas; quibus enixè Sanctiſſimus rogabatur, dignaretur tandem ſuo infallibili Oraculo, Thomam inter Sanctos regnantem in Cœlis, Chriſtifidelibus colendum, & imitandum proponere in terris.

Die verò octaua Iunij 1658. In Cõgregatione ordinaria Eminentiſſimis PP. Sac. Rit. Congregationi Præpoſitis nunciaui, mihi præteritis diebus à Sanctiſſimo imperatum fuiſſe, vt geſtorum omnium in cauſa B. Thomæ de Villanoua paginam conſcriberem, proxima hebdomada, coram Sanctitate ſua in Generali Congregatione per Eminentiſſimum cauſæ Relatorem, referendam. Et quamuis olim die ſexta Decembris 1621. decretum emanaſſet à Sac. Congregatione, quòd quandocumquè poſſet ad eiuſ-

eiusdem Beati Canonizationem tutò deueniri; tamen Sanctitati suæ acceptissimum fore, vt rursus Thomæ præclara gesta nouo examini subijcerentur, & singuli nedum Cardinales, sed Consultores S. Congregationis suas sententias desuper aperirent.

Verùm quia Eminentissimus Pallottus eiusdem causæ Relator procul ab Vrbe erat, eius loco subrogatus fuit Eminentissimus D. Cardinalis Chisius.

Hac absoluta Congregatione, statim compendium actorum omnium in eadem causa ad Eminentissimos Cardinales, & ad Consultores Sac. Congreg. transmisi tenoris, vt sequitur.

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

Frater Thomas de Villanoua Ordinis Eremitarum S. Augustini Archiepiscopus Valentinus natus est in Domo materna oppidi fontis plani Toletanæ Diœcesis anno 1488. ex Alphonso Thoma Garzia de Villanoua eiusdem Diœcesis, & Lucia Martinez eximiæ charitatis Coniugibus, & in Catholicæ Religionis cultum mirè propensis.

Thomas à pueritia se futurum virum Religiosissimum, & in pauperes mirè liberalem ostendit: etenim ientacula pueris gymnasium petentibus dari solita, egenis partiebatur, & vestes, quibus indutus erat, ijs erogabat: Xenodochia dietim visebat, & parentum imperio obsequentissimus, puerilia prorsus abhorrens, vigilijs, alijsquè carnis macerationibus assiduè vacabat; In oratione planè indefessus extitit, adeoquè modestus, & castus, vt nunquam oculos à terra eleuare consueuerit, & Virgo communi iudicio putaretur.

Anno ætatis 22. ad Vniuersitatē Complutensem perrexit, & in Collegio Sancti Ildephonsi quinquennio, ad omnium liberalium Artium, ac præsertim Sacræ Theologiæ studia incumbens, nunquam ab orationibus, ieiunijs, & flagellis abstinuit; subindè, defuncto Patre, quæcumquè haberet, in pauperes erogare decreuit, & integro patrimonio Virginibus pauperibus fœminis alendis, addicto, annum agens 27. salutis 1516. in Conuentu Salman-

mentino Ordinis S. Augustini nomen dedit, & proximo anno ibidem professionem emisit.

Vix biennio elapso Prior eiusdem Conuentus suffectus est, & inde ad præstātissima quæquè Religionis munia subeunda translatus, ita se gessit, vt tandem numero Reformatorum Constitutionis Ordinis adscribi promeruerit; eamquè Sanctitatis notam attigit ieiunijs, carnis flagellationibus, assiduis precibus, & concionibus semper intentus, vt Carolus V. Augustus, & Philippus II. Rex Hispaniarum Catholicus, Thoma tantùm Præsule, labefactatam Valentini Cleri disciplinam restitui potuisse putauerint; & nè, vt antea Granatensem Ecclesiam regendam recusauerat, etiam Valentinæ curam suscipere Thomas idem abnueret, sub excommunicatione, & vi præcepti obedientiæ, cellam deserere coactus est, qua tantùm contentus viuebat, & ad Cathedralem simplici Religiosi habitu indutus, socio tantùm comite, pedès accessit.

Ecclesiasticam disciplinam, & Laicorum mores coacta synodo, multis affectus iniurijs, restaurauit; mox ad particularium salutem promouendam conuersus, plurimos ad salutis semitas æquè prudentia, ac ignitæ charitatis vsu reuocauit.

Quò verò fuit in pauperes liberalis, eò parcior erga se ipsum, & consanguineos ostendit se se: etenim, vt egenis, quorum se parentem agebat, largius subueniret, laceras induebat vestes, quas proprijs manibus resarciebat; Cubiculum storeis tantùm obductum habens, super sarmentis in terram stratis quiescere consueuerat; vltra quartam pulli partem sibi parari, nec senio confectus assensit, lintea è proprio cubili desumens, & indusijs se ipsum exuens, ea in pauperes erogabat; ratus ea, quæ pauperum erant, præter iniuriam illis denegari non posse: nequè æquum videri, vt seruus, quem seipsum esse profitebatur, pinguiori cibo, quo Dominus, vtpotè egenus, vesceretur. Catalogum pauperum omnium, penès se retinebat, vt singulis pro egestate consulere posset. Puellis egenis dotem pro conditione suppeditabat: at cum fratri germano pecunias ab eo petenti scuta centum, & duobus consanguineis quinquaginta singulis tribuisset, dimidium deindè consuetæ portionis comedit, quoùs-

 què

què pecuniam prædictis traditam recuperasset, nè illa pauperes loci fraudaret.

In subditis verò è iugo seruitutis redimendis, ingentem pecuniæ vim profudit, & pauperes, in omnium Valentiæ Ecclesiæ redituum Dominos recognoscens, quæcumquè ex his percipiebat per eius manus, tanquam per pontem ad egenos esse traijcienda asserebat.

Tria erexit Collegia, quæ pinguibus ditauit prouentibus; Primum scilicet Valentiæ, secundum Compluti, & Tertium Oriolæ, à quibus viri tum probitate, cum doctrina præstantes quamplurimi prodiere.

Interea mirabilia operari dignatus est Deus in seruo suo; triticum enim multiplicauit in horreo ipsius, & paralyticum signo Sanctissimæ Crucis per Thomam producto, pristinæ saluti restituit.

Continuam insuper Dei seruus patiebatur mentis eleuationem, itaut à concionibus, & à Diuinorum operatione palàm abstinere cogeretur, exinde mundanam gloriam consequi renuens; verùm die Ascensionis Dominicæ eleuatus à terra, prorsus immobilis mansit integro duodecim horarum interuallo, à plerisquè visus.

Cumquè experientia didicisset Thomas, pauperes fœminas natorum extra portas proiectorum interitum negligere, ad se pueros afferri curauit, & ingentem summam in ijsdem alendis, & educandis impendit.

Tandemquè meritis plenus, pauperrima supellectili, quæ ei tantùm supererat, inter pauperes familiares diuisa, oblitus Commentariensis egeni Patrisfamilias, eidem cubile, in quo agebat animam donauit; & renuentibus familiaribus, ipsum super stoream, vt fieri indicabat, prosternere, mira humilitate pro visceribus Iesu Christi à Commentariensi eiusdem cubilis vsum ad mortem vsquè postulauit.

Episcopo Segriano eius desperatam salutem nuncianti, gratias egit, & exhilaratus addidit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus; ac subindè illud Sancti Martini vsurpans, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso

cuſo laborem, ſin minus, cupio diſſolui, & eſſe tecum: & illicò quinquemille aureos, ei ab Oeconomo propalatos in pauperes erogari iuſſit, acceptoquè reſponſo, egenis omnibus abundè ſubuentum eſſe, attamen mille, & quingentos aureos ſupereſſe: inquit: Cur hic me detinetis, adhuc, ne eam ad fruendum bono, quod mihi parauit Dominus? properate igitur, & opus abſoluite, ne ipſe diutius hic in labore remorer, ſed tandem in pace Chriſti quieſcam; reliqua verò nummorũ quantitate diſperſa, Deo gratias agens, addidit. Nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nil habens vndè tenear, ſtrenuè luctaturus: iuſſitquè ſe ſacro Oleo muniri, & Clerum vocari, cui, ſumpto Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, ſanctitatem vitæ, & enixam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiam ex Teſtamento legauit; ſacrum poſt hæc audiuit, & Venerabili Sacramento ad eleuationem mira humilitate adorato, tum deniquè lachrymarum vim profundens, recitauit pſalmum. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine; eoqi abſoluto ſubdidit: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum; & hæc dicens, expirauit die octaua Septembris ſalutis anno 1555. veſperi inter ſeptimam, & octauam horam.

Euulgata Epiſcopi deſperata ſalute, Clerus, & populus gemebundi ſupplicationes per vias, ſtationes in Eccleſijs egerũt; mox audito pulſu Cãpanæ, illius obitum nunciantis, ita planctus omnium erupit, vt ſanè vniuerſalis iudicij imaginem dies illa præſeferre videretur; Neceſſe autem fuit, vt fratres Sancti Auguſtini horam ſepulturæ Cadaueris occultarent, nè populus executionem operis impediret.

Succeſſiuè tanta dignatus eſt Deus operari miracula in illos, qui Thomæ patrocinium implorabant, vt deſuper ab Ordinario proceſſus informatiuus compilatus, Sac. Congregationi exhibitus fuerit annò 1608. Quare ad preces Philippi III. Hiſpaniarum Regis Catholici, Præſulum, Procerum, Deputatorum Regni Valentiæ, ac totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, tertiò repetitas, fuit commiſſa relatio contentorum omnium in proceſſu prædicto Cardinali Millino, qui mandatum impleuit die 24. Auguſti eiuſdem anni, & Congreg. cenſuit, ſufficientem fumũ haberi, vt poſſet in eadẽ cauſa Sedis Apoſt. auctoritas iterponi.

Hisquè Paulo V. relatis, idem litteris datis 19. Octobris 1609. Congregationi facultatem attribuit inquirendi in genere: & Cõgregatio decreuit, & relaxauit remissoriam, & compulsoriam à causæ Procuratore petitas, directas Archiepiscopo Valentino, eiusquè in spiritualibus Vicario.

Processus huiusmodi in genere confectus ad Vrbẽ transmissus est anno 1610. eiusq; relatio commissa bon: mo: Cardinali Millino, qui munus expleuit die septima Augusti eiusdem anni, & Congregatio censuit, satis superquè constare de fama puritatis fidei, de sanctimonia vitæ, dequè operatione miraculorum, & populi erga Fratrem Thomam deuotione in genere; ideoquè posse ad inquisitionem specialem deueniri.

Paulus V. his auditis, nouis suis litteris Congregationi concessit, vt posset inquirere in specie, quæ remissoriales, & compulsoriales litteras desuper expetitas decreuit, & relaxauit die nona Octobris 1610. directas videlicet pro Ciuitate, & Diœcesi Toletana Cardinali Royas loci Ordinario cum facultate substituẽdi; pro Ciuitate verò, & Diœcesi Valentina Archiepiscopo, eiusquè Vicario generali; Verùm habito mox ante præsentationem harum litterarum nuncio de obitu Archiepiscopi, Congregatio die 26. Februarij 1611. facultatem transmisit Episcopis Marochitano, Coronen. & Segobricensi aperiendi, & executioni demandandi easdem litteras.

Die prima Septembris 1612. fuit præsentatus processus in specie Valentiæ compilatus, & alter Toleti confectus exhibitus est die 2. Martij 1613. quos Congregatio iussit ex Hispano in Italicum idioma interpretari.

Pluries deindè repetitis obsecrationibus Hispaniarum Regis Catholici; peracta per Cardinalem Lancellottũ, absente Cardinale Millino, Relatorem deputatum, relatione contentorum omnium in prædictis processibus. Congregatio die 20. Septembris 1614. censuit, causam serui Dei in eo statu reperiri, vt eadẽ posset Auditoribus Rotæ tunc de more committi, hisquè Paulus V. assensit; Quare consignatis Notario Rotæ processibus, iisdemquè in vim commissionis ab eodem Pontifice signatæ, in Rota discussis ab Auditoribus Sacrato, Coccino, & Manzanedo Commissarijs, Summo Pontifici relatum fuit, processus validè

fuisse

fuisse confectos, ac testes ritè examinatos, necnon plenissimè cõstare de fidei puritate, vitæ sanctimonia, virtutibus, & miraculis in specie, ideoquè tutò posse ad Fratris Thomæ Canonizationem quandocumquè procedi.

Repetitis deindè precibus Regis Catholici, & aliorum, Paulus V. die tertia Februarij 1618. rursus huiusçè causæ cognitionem commisit Sac. Congregationi ad effectum Beatificationis.

Die 31. Martij eiusdem anni Congregatio censuit constare de virtutibus Theologalibus, & ad comprobandam fidei magnitudinem, duo miracula in vita patrata, scilicèt multiplicationis tritici, & sanationis paralytici admisit, & approbauit.

Successiuè declarauit diebus videlicet 23. Aprilis 3. Iunij, & 21. Iulij plenissimè constare etiam de virtutibus Cardinalibus, & Monasticis in gradu heroico, dequè fidei puritate, sanctitate vitæ, & frequentia populi ad eius sepulchrum, & insuper quatuor miracula approbauit, videlicet.

Resurrectionis Pauli Francisci Cardonæ septem mensium labore febris consumpti, ac tandem mortui.

Resurrectionis Sperantiæ Valeriæ quæ febri decem mensibus vexata, & vita functa, sola Dei serui intercessione spiritum reassumpsit.

Sanationis carcinomatis in Francisca Nadal nullo adhibito naturali remedio.

Sanationis plagarum incurabilium, quibus quinquennio affecta fuerat Catharina Vincentia Rossellon, nullo nec vsa medicamento.

Die 18. Augusti eiusdem anni S. Congregatio quatuor alia miracula approbauit, scilicèt.

Sanationis ophthalmiæ in persona Marcellæ de Lizania momento obtentæ.

Sanationis claudi ex contractione neruorum, scilicèt, Petri Antonij Sutoris Valentiæ in eo morbo per biennium cõfirmati.

Sanationis vlcerum incurabilium in persona Iacobi Cerudræ cæmentarij, eo morbo à quatuordecim annis vexati.

Liberationis Vincentij Ciprer de Paternoy à contractione neruorum ex paralysi, momento secutæ.

Prædictisq; miraculis approbatis Congregatio die 7. Septembris

bris

bris 1618. rursus declarauit, pleniſſimè cõſtare de validitate processuum, dequè virtutum excellentia, fidei puritate, vitæ ſanctimonia, operatione miraculorum, ac deniq; de fama ſanctitatis, & frequentia populi ad ſepulchrum ſerui Dei; & propterea cēſuit, poſſe, ſi Sanctiſſimo placuiſſet, in poſterum nuncupari Beatum, & de eo tanquam de Confeſſore Pontifice quotannis in Regno Valentiæ à Religioſis vtriuſquè ſexus Ordinis S. Auguſtini, & in Ciuitate Valentina à Clero tum Seculari, tum Regulari, recitari officium, & miſſam celebrari.

Quibus annuit Paulus V. ac deſuper litteras in forma Breuis conceſſit, datas die 14. Septembris 1618. idemquè Indultum, mox extenſum fuit ad omnes vtriuſquè ſexus Religioſos prædictos Regnorum Caſtellæ, Aragoniæ, & Cataloniæ, necnon ad Oppidum Villanouæ, ac tandem ad omnes pariter vtriuſquè ſexus Religioſos Ordinis S. Auguſtini vbiquè terrarum exiſtentes, decretis videlicèt S. Congregationis die 19. Auguſti 1619. & 30. Martij 1621. necnon litteris Apoſtolicis datis in forma Breuis diebus 19. Aprilis, & 14. Maij eiuſdem anni 1621.

Die verò ſexta Decembris prædicti anni, repetita in Congregatione octo præſcriptorum miraculorum approbatione, duobus inſuper miraculis ſacra eadem Congregatio ſubſcripſit, ſcilicèt.

Inſtantaneæ cõceſſionis lactis Catharinæ Montaltæ Sollent, & Sanationis à podagra, qua ſexennio Ludouicus Lemoſi Chirurgus Valentinus laborauerat.

Ob idquè Congregatio cenſuit, tutò poſſe Summum Pontificem quandocumq; ad ſolemnem eiuſdem Beati Canonizationẽ iuxta ritum S.R.E. & SS. Canonum diſpoſitionem procedere.

Verùm, cum ſuperueniſſent noua decreta ſa. me. Vrbani VIII. ſiluit cauſa vſquè ad annum 1649., quo anno die 13 Iulij, Innocentio X. fel. rec. fuit facta præmiſſorum omnium relatio, & ab eodem ſignata Commiſſio reaſſumptionis cauſæ, mox deputato Relatore Cardinale Cornelio, & die 27. Septembris declarato, quòd caſus verſaretur inter exceptos à decretis ſuper non cultu editis, fuerunt examinata opera eiuſdem Beati, & die 7. Martij 1650. decretum, nihil in eis contra fidem, & bonos mores contineri.

Præ-

Præterea die 6. Februarij 1651. fuerunt decretæ litteræ remissoriales ad probandum ea, quæ superuenerant post indultam venerationem, eæquè directæ Archiepiscopo Valentino, necnon Episcopis Segobriceñ, & Derthuseñ.

Processus huiusmodi ad Vrbem transmissus est, ac deindè discussus in Congregatione die 28. Martij 1656. & admissa per Sanctiss. D.N. eius validitate, duobus etiam miraculis Sanctitas Sua subscripsit, eaquè approbauit, scilicèt,

Sanationis deformis herniæ per quatuordecim annos confirmatæ in persona Ioannis Alapont buccini pulsatoris.

Præseruationis à morte Vincentiæ Mattheù puellæ septennis, quæ in puteum delapsa, sub aquis ferè tribus horis permanserat.

Verùm etsi modò adimpletis ijs, quæ noua decreta expetunt, decretum editum die sexta Decembris 1621. penitùs reuiuiscat; tamen Sanctissimus rursus audire intendit singulorum sententias, An scilicèt tutò procedi posse videatur ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem. Ideò &c.

Propè iam erat dies Congregationis habendæ coram Sanctissimo, cum Eminentissimus Card. Pallottus admonitus celeri cursu ad Vrbem properauit.

Die igitur 12. Iunij in Quirinali Palatio Pontificio præsentibus Cardinalibus, Consultoribus, & Officialibus SS. Rit. Congregationis, Sanctissimus inuocationem Spiritus Sancti è more peregit, deindè sedit, iussitquè referri vitam, mortem, virtutes, & miracula B. Thomæ, necnon quæcumquè acta in eadem causa. Tunc Card. Pallottus iussa impleturus assurgens, detecto capite, Relationem inferius exarandam, quam ipse præcedenti nocte ad eum detuleram, legere cœpit, & sedens tecto capite prosecutus est, ea pietate, vt mirum videretur nè inter lachrymas, quas assiduò profundebat, prorsus deficeret; stetit attamen aliquandò silens exiguo temporis interuallo ingenti vi lachrymarum præpeditus; Sanctissimus verò prodigiosam sanè, & miram propemodùm B. Præsulis charitatem admiratus, pia præcordia continere non valuit, quin ipse Maiestatem lachrymis temperaret, idquè Patres laudabilitèr, ac piè imitati, eò tandem singuli ducti sunt, vt vna fuerit omnium sententia, ac si vno tan-

tùm

tùm ore prolata, nedum ad Beati Canonizationem tutò procedi posse, verùm expedire plurimùm, vt quàmcitissimè ad eam deueniretur.

Relatio sequitur.

Beatissime Pater.

Thomas de Villanoua Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Archiepiscopus Valētinus, natus est in Oppido Fontisplani, vulgò Fuenllana nuncupato Toletanæ Diœcesis, anno circiter millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, in Domo Materna ex Alphonso Thoma Garzia de Villanoua de los Infantes, & Lucia Martinez pijs coniugibus, quos tàm eximios Catholicæ Religionis cultores extitisse fertur, vt suas Domos Inquisitoribus Regni Murciæ, Diœcesim Toletanam inuisentibus Hospitio excipiendis consecrassent, adeoquè in pauperes liberales, vt passim Eleemosynarij cognomento vocarentur.

Alphonsus enim sciens, quod tineam non excludunt clausa, sed claudunt, & rubiginem nutriunt seruata, non vitant: vt sua seruaret, non seruabat, sed erogabat in pauperes. Nam pinguem frumenti censum, quem è molendino quotannis percipiebat, in egenos erogare consueuerat, & frumentum pauperibus agricolis ad serendum mutuatum, exigente mox eorumdem inopia, liberè dimittebat. Lucia verò, nè panem otiosa comederet, manum suam misit ad fortia, ac digitis apprehenso fuso, nendis lino, & lana assiduò vacans, ijs pauperum nuditati consulebat: ipsa tantùm cilicio, indusij loco contenta.

Thomas à puerili ætate, Domino iam tunc in serui sui infantia operante, non obscura futuræ Sanctitatis dedit indicia, nec serò piæ educationis profectum ostendit; ientacula enim pueris gymnasium petentibus dari solita, pauperibus largiebatur; ac nè nudos dimitteret homines, quibus non erat operimentum in frigore, domum sæpe sæpius repetebat, sago thorace, pileo, caligis, & pallio denudatus, quibus Christum in pauperibus egenum induerat. Præterea, nè aliquando facultas subueniendi pauperibus sibi adimeretur, si post dispersum quotidianum panem supe-

erat aliquis, cuius inopiæ minimè consultum foret, Matrem enixè rogabat, vt paratam sibi prandij portionem ei dari præciperet, spondens ea die se minimè comesturum: Annuebat Mater, & Thomas portione sua esurienti tradita, per diem illum à cibo sibi temperabat, prandiumquè in manu pauperis reponebat, vt sibi seruaret, quod venter sibi fuerat perditurus. Accidit vna die, vt Mater è domo prosilijsset, imparato, nec relicto pane pauperibus frangendo; Pauperes è more ad ostium domus contendunt, at, vbi Thomas panem non comperit, pullos è gallina domi existente subtractos inter pauperes diuisit: Redijt Mater, & Thomam de pulllis interrogauit, ipseque hilari vultu, respondit, Mater domo discessura, quæso, panem pauperibus dispergendum dimittas, vt redux pullos inuenias; venerunt namquè pauperes, & cum panis deesset, nè eos vacuos dimitterem, singulis pullum attribui.

Oua recentis fœtus ad Xenodochia languentibus reficiendis deferebat, & messi præfuturus, à Genitore aliquando missus ad agrum, cibum sibi, & messoribus allatum, pauperibus spicas colligentibus partiebatur; Parentum tamen imperio æquè subditus, & obediens ab eorum mandatis vix declinabat, quantùm charitas in Deum secus vrgeret, vel ea in proximum suaderet. Puellus adhuc iam Sanctorum senum viuendi rationem æmulabatur, & vix mundum ingressus, nihil habebat antiquius, quàm mente pariter, & corpore immaculatum se custodire ab hoc sæculo; ideoquè moribus erat adeò compositus, vt per vias incedens, semper dimissis oculis, nequè circumspiceret in vicis, nec obseruaret in plateis; eoquè castus, & pudicus, vt virgo communiter putaretur, ac nequè verbum ex eius ore prodierit, quod audientes ad pudicitiam non allexerit, summam in se venerationem non excitauerit.

Hisquè, & alijs virtutibus, ac ætate proficiens, sortitus animã bonam, in vigesimo secundo constitutus anno, Thomas in Collegium S. Ildephonsi Vniuersitatis Complutensis admissus, liberaliumquè artium, & præsertim Sacræ Theologiæ studia sedulò professus; tempus, quod studijs supererat, Religioni donans; ante Imaginem Crucifixi, cubiculi parieti hærentem genuflexus, fundendis Deo precibus, & carnis castigationibus impendebat;

quod adhuc cum dicta Imagine Crucifixi, summa veneratione, à Christi fidelibus inuisitur.

Inter hæc Thomas, parente orbatus, perfectioris vitæ viam ingrediens, nihilquè sibi, quod hic suum diceret, relinquens; vt nudus, & expeditus miles Christum Dominum sequeretur, quæcumquè habebat, se in pauperes impensurum deliberat, & Matrem deprecatur, annueret, vt ipse domum paternam cum reliquo patrimonio, nobilibus pudicis pauperibus alendis fœminis addicere posset; idquè ex desiderio impletum extitit, & erectum huiusmodi Xenodochium in Oppido Villanouæ, adhuc Hospitale Archiepiscopi nuncupatur.

Annum agens vigesimum septimum, & in arduo palestræ genere, in qua mens nostra contra spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus continuò militans, maxima cogitur subire certamina: antesignano aliquo Duce, & adiutore se indigere prospiciens, quo in bello dirigeretur, vt vinceret: strenuissimum vitiorum, hæresumq; domitorem Augustinum elegit, sub cuius regula militaret, & die 24. Nouembris anno 1516. Thomas Ordini Eremitarum Sancti Augustini in Conuentu Salmantino nomen dedit; ac positis per annum, mira austeritate vitæ, rudimentis Religionis, recurrēte mox die vigesima quarta Nouembris, ibidem solemnem professionem emisit: & æmulatus charismata meliora, eam breui Religiosæ perfectionis metam attigit, vt vix biennio elapso, Conuentus eiusdem Salmantini Prior suffectus sit. Inde verò Prioris S. Augustini Burgensis, Visitatoris Prouinciarum Castellæ, & Bethicæ, Prouincialis, ac Definitoris eiusdem Prouinciæ Castellæ, & Prioris Vallisoletani munia, ijs vitæ, ac morum exemplis obiuit, eoquè zelo labefactatam regularis disciplinæ integritatem restituit, vt numero Reformatorum Constitutionis Ordinis adscribi promeruerit.

Inter hæc, transeunte Thoma per ciuitatem Toletanam, Thomas Galliego, & Ioannes de Bonillo eius consanguinei, necnon familiaris quidam Archiepiscopi Toletani, ei simul occurrunt, & singuli proprio, & Archiepiscopi nomine, prandium, ac hospitium exhibent. Thomas autem nullius humanitatem se læsurum dictitans, à singulis subducit se, ac iter prosequitur. Consanguinei eum à longè sequuntur, vt videant, quò se Thomas me-

meridie refecturus cibo recipiat. At vbi ille è Ciuitate egressus fuit, reperto fonte, subsistit, extractumq; panem è pera, aqua madefacit, eoquè tantùm cibo vescitur. Hæc intuentes consanguinei ad Thomam accedunt, & plurimùm conqueruntur, quòd oblatis abnuisset. At ille, inquit, fratres escarum adipem comedendo, salus animæ non acquiritur.

Primus omnium Thomas in Chorum ingredi, vltimus ex illo egredi consuetus, vigilijs, flagellationibus carnis, & concionibus mirificè intentus erat, negligentes in via salutis excitans, lapsos erigens, erectos confirmans: adeòut omnes in magnam spem erecti, eum virum clarissimum futurum, haud vano præsagio diuinarent.

Hisquè permoti Carolus Quintus, & Philippus Secundus, quoniam ex diuturna Ecclesiæ Valentinæ viduitate, Terra illa frugifera conuersa erat in salsuginem à malitia inhabitantium in ea, vt iam non esset amplius ager primitiarum, cui benedixisset Dominus, sed squallens, horrensq; desertum spinis obsitum: nam collapsa Cleri disciplina, populus in grauissimos errores deducebatur; tantæ sterilitati Thoma tantùm Præsule consuli posse, non ab re crediderunt. Verùm nè vt antea Granatensis Ecclesiæ infulas recusauerat, etiam Valentinæ curam suscipere, Thomas abnueret; vbi Imperatoris, ac Regis imperium, nec satis vrgere compertum fuerat, à suo Superiore, vi præcepti obedientiæ, & sub excommunicationis anathemate adactus, Cellam cum lachrymis deserens, Valentiam se recepit. In Conuentu S. Mariæ de Succursu Ordinis Sancti Augustini equo descendit, indequè factu solemnis ingressus abdicato, pedester cum Socio simplicis Religiosi habitu indutus, ad Cathedralem perrexit, & hæc humilitatis fundamenta iecit, vt Ecclesiastici Præsulis culmen, quò profundiùs, eò solidiùs, sublimiùsquè eueheret.

Cathedram igitur Episcopalem postquàm ascendit, non tantùm nouo Antistiti curæ fuit ædificare, ac plantare, sed (quod maioris negocij, & operis erat) in ea cogitatione assiduè versabatur, vt secundùm Dei consilium infructuosos palmites euelleret, & malè ædificata destrueret, & dissiparet; Etenim Ecclesiasticam disciplinam adeò corruptam inuenit, vt Capitulares, ac reliqui Præbendati, nec vererentur sago breui villoso amicti,

cti, & lactucis ad collum inuersis compti,equis quouis phalerorum, & ephippiorum genere perornatis,africano more insidentes, etiam personati in plateis publicis hastiludijs se sé indignè exercere, necnon vti curiosa sectantes,in Theatra se tradere,indequè sinè mora in Chorum Diuinis interfuturi, aut sacra facturi, ingredi auderent.

Quare cura Pastorali suscepta,ea, qua in Dei honorem,& animarum salutem ardebat ignita charitate, ad mores omnium reformandos totum se tradidit, & vt gregem sibi creditum in fide confirmaret, Synodo Prouinciali coacta, Cleri disciplinam pristino nitori restituere pro viribus conatus est: inde laicorum emendationem satiùs prodituram prospiciens. Et quamuis suauiter animos ad honestatem capessendam allicere studuisset,fortiter tamen finem attingere non prætermittens,eò Capitularium licentiam adduxit, vt hæc ausa fuerit, se potius à Pastoris virga subducere, quàm arctioris vitæ institutis imminui.

Permisit Deus, dum Capitulares, & Clerus Metropolitanæ Ecclesiæ, nè eis peccandi facultas adimeretur, se se Apostolicæ Sedi priuatiuè subiectos dictitantes, à Thomæ imperio declinare satagerent; vt Canonicus nomine Vulpus,ob geminos pugionis ictus in Algazirium Ioannis de Villacosa Gubernatoris Valentiæ inflictos, ad carceres laicales detrusus,se pœnam persoluturum propediem pertimesceret; Eius discrimine ad Capitulares allato, ijdem ad Archiepiscopum conuolarunt expetentes, vt ipse Ecclesiasticæ immunitati ex debito Pastorali consulere dignaretur. His auditis Thomas subridens,inquit, Ego opitulari vobis non potero, qui ex ouili meo non estis, & me Pastorem vestrum non cognoscitis; mox repetitis eorumdem precibus,addidit,nè dubitetis fratres,etenim ipse magis gloriosam mortem, quàm odibilem vitam amplectar, & lubens ad supplicia præibo, Ecclesiasticam libertatem pro munere defensurus.

Thomas idcirco,quem zelus domus Dei comedebat,induta pro thorace Iustitia, & accepto pro galea iudicio certo, sumptoquè pro scuto inexpugnabili æquitate,statim instat,vt ei Vulpus reddatur, & vbi humanitas negligitur, præceptis vrget, Regiosquè Ministros pertinaces adhuc anathemate percutit: Ecclesias interdicto subijcit. Gubernator in rabiem actus, alium Clericum,

qui

i in Taurorum ludis virum occiderat, præcipitanter vltimo
pplicio damnat, & laqueo suspendi imperat. Dux verò Cala-
iæ Prorex Valentiæ minaci epistola, Thomam admonet, vt ab
cepto desistat, nisi mallet facultatibus temporalibus expoliari:
Thomas, cui Dominus dederat faciem, vt adamantem, nihil
nens, Sacerdotali respondit constantia, Dux, tunc magis lo-
ples ero, cum temporalitatibus prorsus destituar, & ad Cellam,
Diuum Augustinum Parentem inueniam, & à qua inuitus non
si cum lachrymis discessi, lætissimus remigrabo.

Dux tandem, Thomæ ingentis animi fortitudine variè, sed
cassum tentata, sextum post mensem, Præbendatum, eiusdem
bitrio dimitti imperat. Gubernator autem cum Algazirio
e palmarum nudatis pedibus, detecto capite, libero tamen cor-
pore, candelam manibus gestans, præ Ecclesiæ foribus se sistere
ompellitur. Sed Thomæ animum non solum Ecclesiasticæ li-
ertatis propugnandæ studium, sed salutis omnium subdi-
orum suorum solicitudo inflammabat. Plurima propterea
um pateretur ærumnas, laboresque infinito propè numero dum
oleraret, vt libertatem Ecclesiæ tueretur, & in sua Prouincia
ynodalium legum obseruationem stabiliret: simul debito Pasto-
alis curæ, & charitatis vi illa propè immensa, quæ cordi eius do-
ninabatur, ad singulorum procurandam salutem impellebatur;
taq; in labore, & ærumna, in vigilijs, & ieiunijs multis, obse-
rans, arguens, increpans in omni patientia, & doctrina, omni-
bus omnia factus est, vt omnium animas lucrifaceret.

Inter cuius generis exempla præ cæteris recensetur, quòd
blando sermone quosdam Præbendatos, ad abijcienda opera te-
nebrarum, & induenda arma lucis, pluries Thomas allexerit,
verùm illos lucem abhorrentes adhuc, & carnis curam facientes
n desiderijs suis, in cubiculum duxit, ibiquè clausis ianuis, nu-
datis sibi humeris, & ante Imaginem Crucifixi genuflexus, singu-
os his verbis allocutus est. Frater, meis peccatis actum fuit, nè
tu à via mala pedes tuos prohibueris, et mea tot monita despe-
xeris: quare si culpa mea est, æquum, vt ipse pœnam persoluam;
et continuò se duris afficiebat flagellis. Tunc Prębendati lachry-
marum vim profundentes, Thomam exorarunt, vt desineret se
verberibus cędere, promittentes anteactæ vitæ emendationem,

quod

quod ita eos impleuisse asseritur, vt mox fideles Domino, in mortale crimen haud ampliùs inciderint.

Alium Sacerdotem acriter, sed frustra sæpius admonitum, diuturno carcere ab impudica consuetudine reuocare studuit, eum deniquè accersitum hiscè blandis verbis affatur: Amice, & frater, vnde hoc mihi, vt ipse audeam iudicare te fratrem meum, Consacerdotem, emptum eomet pretio, quo empta est anima mea, non quidem ex corruptibilibus argento, & auro, sed pretioso sanguine sacri Agni immaculati IESV Christi. Fortasse tu melior me es, & ego te iudicabo, qui me ipsum ignoro? Tu te iudica, & cognosce dignitatem tuam; quibus nedùm permotus, sed perterritus Sacerdos religiosissimus euasit.

Canonicum Cathedralis, etiam inhonestè viuentem, ad se vocauit, eiquè iussit, vt rei familiari consuleret, & Romam quasi profecturus noctu ad ipsum rediret, Canonicus imperata fecit, quem Thomas semestri detentum in proprio cubiculo, diù, noctùque verbo, & exemplo eum increpans, ad pœnitentiam flexit, mox emendatum dimisit, à domesticis, & amicis, ac si reducem ab Vrbe, verbis officiosis, exceptum.

A Michaele Vincente Actuario Concubinam dimouit, eamq. inter religiosas mulieres in hospitio collocauit. Noctù Michael per fenestram ab hospitio illam eduxit: cumque à Ministris laici Tribunalis perquireretur, is ad Cathedralem confugit; suasum est Thomæ, vt Michaelem immunitatis Ecclesiasticę beneficio indignū ad carceres detrudi iuberet: at inquit Thomas, Nolo mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat. Tantùm desidero, vt Michael concubinam à se dimissam religioso hospitio restituat, & cupiat emendare, quod fecit. His ad Michaelem delatis, ingemuit, tam benignum læsisse Parentem, deseruit impudicam; pœnituit, & vitæ reliquum religiosè duxit.

Ex quibus liquidò constat, quò Thomæ peruenerit excellentia charitatis, dum causa emendationis, etiam in proprio cubiculo huiusmodi homines secum degere passus est. At vbi malo suorum familiarium exemplo, alios infici potuisse veritus fuit: effugiens illud, inimici hominis domestici eius; nequè per horam, quempiam impudicitiæ notatum suis obsequijs detinuit: imò nepotem ipsum ex fratre, tali culpa fœdatum è domò expulit, &

patriam

triam repetere finè mora coegit.

Nunquam verò Thomas conuerſionis alicuius prouinciam ſuſcipiebat, nec ad conciones agendas pergebat, niſi Deum eſſis precibus exoraſſet, vt ei audientium corda emolliendi gratiam elargiretur: mox ab huiuſmodi oratione cõſurgens, eo feruore, ardentiquè zelo peccatores corripiebat, vt quamplurimos ad poenitentiam, ac ad relictam perfectioris vitæ ſemitam reuocauerit, & æquè prudentis, ac eximiæ charitatis vſu, innumeros ad ouile Domini reduxerit, quos tactos dolore cordis intrinſecus, ad Confeſſarij pedes illico conuolare impellebat, ideoquè Paulus, S. Ioannes Chriſoſtomus, Chriſti Apoſtolus, Diuinus Intellectus, & Cereus Diuini amoris paſſim nuncupabatur.

Et quidem ſemel concionando coram recol. me. Philippo II. Hiſpaniarum Rege Catholico, præ nimia ſua erga proximum charitate, mirabile etiam fidei magnitudinis argumentum edidit: ſiquidem agens de ineffabili Trinitatis myſterio, in eam corda hominum vehementi ſermone inflammare conatus, inde in lachrymas actus ex corde in hæc verba prorupit: Dicam fratres, dicam, & cum nimio cordis gaudio dicam, etſi vobis forſitan temerarius viſus fuero; fides tua Domine Sanctis tuis, qui in huiuſmodi teſtimoniorum ſcrutinio verſantur, iam vix fides eſt, quoniam de fide iam tranſijt in lucem. His cum præſens etiam reperiretur Gaſpar Aualos Archiepiſcopus Granatẽſis vir doctrina, & ſumma pietate præditus, cum Thomas è ſugeſto deſcendiſſet, eum ſic affatus eſt, Non putaui, quòd humanus intellectus eò ſe potuiſſet extollere; quæ enim à te audiui, imbecillitatem noſtram longè ſatis excedunt, dum tam dilucidè eius generationem enarraſti, de qua vix licet homini loqui. Huiuſce autem, & aliarum quamplurium concionum in latinum idioma verſarum codex quàm eruditiſſimus, & animarum ſaluti perutilis, eo ſuperſtite nunquam Thomæ ſingularis modeſtia præbuit aſſenſum, vt typis committeretur.

Adeoquè Thomas in Dei amorem propenſus erat, vt paſſim dicere ſoleret, ſibi propemodùm tolerabilius videri, ſe in Infernum præmitti, quàm non diligere Deum, & præ ignibus, & tormentis magis terreri, quòd qui cruciantur in Inferno, Deum oderunt.

Magni-

Magnitudo etiam animi inter cæteras virtutes in eo enituit, etenim iniurias fortiter dimittens, inimicos impensè diligebat; cùm læderetur, assuetus dicere: patientia opus est, rogabo Deum, vt pro sua misericordia illius cor emolliat, & si eum pœnituerit, clementiam non denegabo.

Mirum in modum Thomas extitit liberalis in pauperes, parcissimus erga se ipsum; hic ille fuit Euangelicus Pater familias, qui de thesauro suo proferens noua, & vetera, domum suam nedum sanctis moribus, sed etiam corporalibus pauit alimentis: Hic ille prudens seruus, qui pecuniam Domini sui nummularijs fœneratus, quotidiè, assiduò manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem: at vnicum biretum proprio vsui domi asseruabat, sola veste, & pallio laceris contentus, quæ suis manibus ex veteri scapulari in frusta discisso, resarciebat; ac ita non semel, sed perpetuò dum vixit, suis omnibus spretis, post hæc labore manuum, vnde eleemosynam satiùs dare posset, & pauperibus, quorum se Parentem, & Tutorem agebat, largiùs subueniret, operabatur.

Proprium cubiculum storeis tantùm obductum, & perornatum habens, ibi super vili lectulo, aut sarmentis stratis quiescebat, & frequèns pauperes sodales adhibens, ex eadem olla cibum sumere consueuerat, adeò tamen parcè, vt senio confectus, nunquàm annuisset, integrum pullum, sed quartam pulli partem, vel medietatem perdicis tantùm pro sua mensa parari; & Oeconomo secùs suadenti, ac deprecanti sæpiùs responderit, iniquum fore, vt seruus pinguiori cibo, quo Dominus vesceretur; se quidem seruum, pauperes Dominos asserendo; vnà etiam adijciens, nonnè assueto refici cæpis, & alijs, satis superquè est, quartam pulli partem, aut dimidiatam perdicem comedere?

Quadam die, pauperrima mulier ad Thomæ domicilium detulit Lampetram, quam Oeconomus emere satagebat: videns hæc Thomas, petijt, quanti illam emere statuisset, respondit Oeconomus, Domine vigintiquinque regalibus, & Thomas subindè inquit, ipse tanti non sum, vt comedam, quod poterit vigintiquinque pauperibus satis esse, iussitquè Lampetram alijs emendam dimitti, & mulieri egenæ eleemosynam impartiri.

Lintea etiam è proprio cubili desumens, & indusijs se
ipsum

ipsum exuens, ea in pauperes erogabat: & cum mulier quædam nomine Daces, quæ assiduò suens, huius generis supellectilem Thomæ parabat, pluries ab eo expetita de indusijs, & linteis, Thomam admonuisset, ne tàm liberalis foret, se se necessarijs huiusmodi prorsus destituendo: respondebat Thomas, Daces filia fer opem, non consilium, quæ enim pauperum sunt, pauperibus præter iniuriam denegari non possunt.

Proprijs etiam pallijs, si alia indumenta deerant, pauperum nuditati consuluit, & ad instar Diui Gregorij Magni, catalogum omnium pauperum Valentiæ degentium, vt singulis pro indigentia, & conditione subueniret, penès se asseruabat; itaut alicui nobili egeno annuatim summam mille scutorum suppeditare consueuerit, & à nullo paupere faciem suam Thomas auerterit, neminemquè ab eo discessisse consenserit, cui delatæ sibi egestatis remedium non attulisset.

Inter quæ plurima, non obscurum fanè obtinet locum, quòd semel cum Sutore Thomas super pretio manicarū altercatus, noluit in illis sumptum facere vigintiquinq; regalium, sed manicas vilioris pretij ad se afferri iussit. Sutor à Thoma discessit, Præsulis auaritiam dicaciter detestatus. Cumquè elapsis aliquibus diebus, idem cum amico de eius indigentia querimoniam faceret, ex quò potissimùm dos nubili iam filiæ deesset: amicus Sutori suasit, vt Archiepiscopo id aperire festinaret: subridens Sutor, manicarum factum amico narrat, & ad Thomæ charitatem confugere recusat; tandem à Deputatis Visitatoribus ad Thomam indigentia filiæ Sutoris vltrò allata est, & ipse de more subsidium dotis septuaginta scutorum ad puellam mittit. Sutor stupore attonitus, existimans se somnium videre, facto vix fidem præbebat mox ad Thomam aduolans ei gratias agit, & de exagerata eius auaritia veniam postulat; Thomas placidè respondit, fili, si pro manicis, quanti volebas, impendissem, illo minus pro dote tuæ filiæ superfuisset, Tace, & dato gratias Deo, qui ei de dote prouidit.

Nobilibus puellis subsidium dotis etiam ad summam quingentorum scutorum elargiebatur, & Orphanorum Patris cognomen sortitus est Thomas; cum, quotquot parentibus orbatos egenos expertus est, tot proprio ære leuauerit.

 Quò

Quò verò in subditos suos liberalis extitit, eò parcior se in consanguineos ostendit: Pauperes enim omnium Valentinæ Ecclesiæ redituum Dominos recognoscens, quæcumquè ex his percipiebat, per suas manus, vti per pontem, ad illos traijcienda fore asserebat: at cum ipsius Mater, ferè omni substantia pauperibus erogata, Thomam adijsset, & secum duxisset quosdam egenos eius consanguineos; quorum indigentiam Thomæ plurimùm commendauit: respondit is, Mater, bona quæ habeo non sunt mea, sed pauperum naturalium huius Prouinciæ. Dimisit deinde matrem, quæ diù religiosissimè vixit in Oppido de Villar: consanguineis verò, vt matri in aliquo blandiretur, singulis scuta quinquaginta attribuit; quæ adhibendo mox in cibo dimidium consuetæ portionis recuperauit, nè illis, vt aiebat, pauperes loci fraudaret.

Cum Thomæ germanus frater Valentiam profectus, ditiori habitu pro consueto indutus, ad eum accessisset, Thomas illum pro Fratre minimè cognouit, inquiens, frater meus non tam ornato habitu indui in more habuit; quare necesse fuit, vt is accepto viliori indumento ad Thomam reuerteretur, & tunc illum amplexatus est, & hospitem excepit: subdens, tu verè frater meus es; postquam verò idem satis quieuisset, modica nummorum quantitate ei erogata, facultatem repetendi patriam attribuit, dicens, frater mi, me excusatum habeas, nam quæ possideo, commendata sunt mihi, non tradita.

Sed cum Mauri prædati essent Oppidum Callerà eius Diœcesis, & plurimos Incolas captiuos duxissent, Thomas ingentem aureorum vim, in illis è iugo seruitutis redimendis; quàm liberaliter profudit.

Præter verò huius generis eximiæ charitatis argumenta, alia edidit Thomas diù permansura. In Vniuersitate enim Cōplutensi Collegiū Religiosorum Ord. S. Augustini, qui S. Theologiæ operam nauarent, instituit, & cōgruo prouentu ditauit ex pecuniæ sūma, quæ illi ab Imperatore Carolo V. debebatur; ratus, quòd reditus mensæ Archiepiscopalis in pauperes Ciuitatis, & Diœcesis erogare fas esset. In Ciuitate Oriolensi, aliud simile Collegium erexit, pro pauperibus ad studia S. Theologiæ incumbere cupientibus. Valentiæ etiam fundauit, & reditibus auxit Collegiū pau-

perum

perum Sacræ Theologiæ adipiſcendæ addiſcendorum: ex quibus Collegijs viri tùm doctrina, cùm probitate conſpicui prodiere.

Inter hæc aſſidua heroicarum virtutum exercitia ſibi Dominus in Thoma benè complacuit,& ſe ſe in eo mirabilem oſtendere cœpit.

Mirabantur etenim propemodum vicini degentes in ædibus Epiſcopio contiguis, intuentes, quòd longè maior frumenti numerus ex horreo Archiepiſcopi extraheretur, quàm in illud congregatum aſpexiſſent, facti tamen veritatem haud inquirebant; ſed tandem,Deo tantùm operante,clariora huius miraculi decumenta edita ſunt.

Bonilla enim Subcuſtos horrei Archiepiſcopalis, cū horreum multos ante dies tritico exhauſtum mundaſſet, à conſeruis expetitus,vt menſtruam frumenti portionem ipſis tribueret,cum Hernandez Subœconomo conqueſtus fuerat de nimia Præſulis liberalitate, quæ cauſam tandem præberet, vt propriæ familiæ neceſſaria deeſſent; interim miſerabilis fœmina, vt famelicæ proli conſuleret, Thomam adijt, inſtititquè plorans, vt ſibi frumenti eleemoſynam elargiri præciperet, Thomas illicò Garziam Oeconomum, & Hernandez Subœconomum ad ſe vocauit,eiſquè imperauit, vt egenæ pro munere ſubuenirent; commotus Hernandez reſpondit, in horreo nec frumenti granum contineri. Vrget mulier, perurget Thomæ charitas, qui Bonillam accerſit, eiquè præcipit, vt ad horreum egenam ducat,& quicquid frumenti reſidui repererit, illi tradat. Bonilla ſe fruſtra imperata facturum iterùm, ac tertiò repetit; tunc Thomas ad illum, confide Bonilla,& perge ad horreum,nè egena hæc ſinè ſubſidio diſcedat. Bonilla iuſſis obtemperat, & Thomas mulieri ait, ſequere Bonillam. Tunc Garzias, Hernandez, & Bonilla, cum muliere horreum petentes,ad eam cum riſu conuerſi, inquiunt: Veni bona mulier, & videbis horreum vndiquè vacuum, & ſcopis mundatum. Cumquè horreum propè attigiſſent, è ianuæ rimis grana exuberantia inſpiciunt,& admirati,ianuam aperire ſtudent, quā magna vi frumenti compreſſam, vix totis adhibitis viribus impellentes, obſerare poſſunt,& horreum frumento confertum inueniunt: Tunc rei nouitate perculſi,validis vocibus inclamantes

miraculum, ad Archiepiſcopum reuertuntur, eiquè factum narrant. Thomas ad horreum ſe recipit, & graui ſilentio ſingulis impoſito, mulieri dicit. Accipe frumentum, comede, & Deo gratias age, qui illud tibi parauit.

Biennio ante obitum, cum Thomas, acto prandio, ad feneſtram reſpicientem atrium acceſſiſſet, vidit quemdam pauperem Cæſarauguſtanum, quadragintaquinquè annorum paralyſis morbo contractum, fulcimentis inſiſtentem: manu eidem innuit, vt aſcenderet; cumquè is ad Aulam Palatij perueniſſet, Thomas illum interrogauit; mallet ſanitati potiùs reſtitui, quàm eleemoſynæ ſubſidio iuuari? Reſpondit Paralyticus, Domine ſanitatem magis deſidero; tunc Thomas, producto ſuper eum ſigno Sanctiſſimæ Crucis, inquit, confide, & da gratias Deo, qui dignatus eſt tibi ſalutem impartiri, abijce fulcimenta, & vade in pace: & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ, erexitquè ſe Paralyticus vndiquè validus, reiectiſquè fulcimentis ad pedes Thomæ procubuit, cui Thomas; eleemoſyna tradita, ſubdidit, Tace, eſto Deo gratus, & pro me ora.

Continuam inſuper patiebatur mentis eleuationem, tùm concionando, cùm ſacra faciendo, aut Officia Diuina recitando, itaut tandem à concionibus prorſus vacare, & à rei diuinæ palàm celebratione abſtinere coactus eſſet, ſe ſe à gloria, & ſanctitatis opinione ſubducturus, quas inde ob huiuſmodi amicitiæ Dei, & familiaris Diuinæ conſuetudinis argumenta, ſe conſequi experiebatur. Verùm quò magis Thomas fluxam hanc gloriam deſpiciebat, eò clarioribus rationibus illa in ipſum augebatur. Semel enim, die Aſcenſionis Domini, in ambulatione ſecreta Palatij Archiepiſcopalis, recitans horas Canonicas, ad Antiphonam Nonæ (*Et videntibus illis eleuatus eſt*) Thomas in æſtaſim raptus: & eleuatus à terra, prorſus immobilis manſit, ab hora quinta matutina ad quintã veſpertinam: ſcilicèt duodecim horarum interuallo, nedum à Domeſticis, ſed etiam ab innumeris Ciuitatis Incolis viſus. Deinde quaſi è graui ſopore excitatus, ad Cappellanum conuerſus, inquit, quò peruenimus? Cappellanus reſpondit, ad pſalmum, *Mirabilia tua Domine*. Et flexis genibus, cum multis lachrymis enixè Thomam rogauit, vt ei aperire dignaretur, vbi tanto tempore cum ſpiritu permanſiſſet.

fisset. Thomas, nè Cappellanum nimiùm defatigaret, tandem indicto silentio ait, frater, cum inchoassem antiphonam, *Videntibus illis*, Angeli illam ab ore meo carpserunt, eamquè tam dulci melodia cecinerunt, vt quidem mihi nec interuallum orationis Dominicæ recitandæ percurrisse visum sit.

Præcipua tandem in eo erga pueros expositos viguit charitas, in eisquè alendis, & educandis, Thomæ studium propemodum fuit admirabile; Etenim cognita mulierum nequitia, quæ natorum in portas proiectorum interitum negligebant, à singulis Ecclesiarum Rectoribus euulgari curauit, vt noctù ad sui Palatij ianuam pueri exponerentur; Illis autem, qui expositos ad eum deferebant, strenam quatuor Regalium largiebatur: adeout ad eius Palatij portam noctu vix in limine nati dimitterentur, quòd à pauperibus ad Thomam delati essent. Thomas illos nutricibus lactandos illicò tradebat, quibus initio cuiuslibet mensis in Aula Palatij ordine dispositis, & pueros in vlnis gestātibus, propria manu menstruam mercedem exsoluebat: desuper ijs, quæ nitidiores, & pinguiores pueros deferebant, strenam adijciens, vt magis illas ad enixam puerorum curam impelleret.

Omnes deniquè ope, consilio iuuit, & in Sacramentorum administratione, nisi Canonica impedimenta obstarent, ius resisteret, aut secùs prudentia suaderet, nullius desiderium defatigauit, & præsertim pueros grauiter ægrotantes, media nocte è strato exiliens, meridie mensam deserens, sacro chrismate perliniebat, ne ijdem sinè tali adiumento ab hac luce migrarent.

Tandemquè meritis plenus Thomas, virtutum omnium assiduo exercitio cumulatissimus, ieiunio, flagellis, & anxio animarum adipiscendarum studio, consumptis carnibus, & fluxa despiciens, ad Patriam pergere festinabat. Quare cum in febrim incidisset, ea in dies ingrauescente, par in illo hilaritas animi augebatur, semper tamen iactando cogitatum in Domino, & voluntati eius conformari cupidus, cum ipsi significasset Episcopus Segrianus modicam fiduciam, quæ Physicis de eius temporali vita supererat, exhilaratus, Episcopo gratias egit, & flexis genibus, ac eleuatis ad Cœlum oculis, inquit, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*. Et lætitiam illicò moderatus, subdidit. *Domine si adhuc Populo tuo sum necessa-*

cessarius, non recuso laborem, sin minùs, cupio dissolui, & esse tecum; Mox sacrum viaticum afferri, & Clerum vocari præcepit. Allatum est Venerabile Sacramentũ, Capitulis, & Clero præeuntibus, ab Episcopo Segriano prædicto, sumptoquè viatico, Thomas ad Clerum conuersus, illum breui, sed vehementi sermone hortatus est, vt mandata Domini custodiret, tam excelso ministerio debitam sanctitatem seruaret, Apostolicæ Sedi se se præcipuè obsequentem impensissimè profiteretur, & enixè Omnipotentem rogaret, vt sibi optimum, & exemplarem Præsulem concedere dignaretur: subdiditquè, quòd si Deus eum suo Regno dignum effecisset, vt valdè veraciter in illius infinita bonitate confidebat, assiduò pro Ecclesia Valentina Maiestatem suam rogaret, ne deficeret fides eius; ijsquè tandem dimissis in pace Iesu Christi, & accersitis Oeconomo, & Confessario, cum sibi tantùm pauperrima supellex superesset, eam inter pauperes familiares partitus est, Oeconomum deindè rogans, vt pro Christi visceribus, si quid rei familiaris residui foret, ingenuè ei aperiret, nè solatio destitueretur, nihil quicquam conscium in obitu sibi reseruasse, quod pauperum vsibus non suggessisset, vel aliàs inscium quid pauperibus ipsum elargiri desijsse, mœrore afficeretur, inquiens, si viuam non deerit Deus.

Oeconomus, cum nulla spes temporalis vitę Præsulis remaneret, quod hactenus singulari studio ei præsertim abdiderat, illicò Thomæ significat, scilicet in sacrario Ecclesiæ ab aliquibus mensibus se summam quinquè millium aureorum asseruasse, vt quotiescumq; necessaria omnia ad familiæ substentationem, reliquis in pauperes erogatis, deficere contigisset, exinde familiaribus mercedem præstare posset: statim Thomas Oeconomum, Confessarium, & duas Metropolitanæ Dignitates rogat, vt pro Dei amore, pecuniam ipsam è sacrario eductam in pauperes partirentur. Ijdem, pecunia in sportis accepta, per Ciuitatem diuertentes, egenorum omnium desideria explent, reducesquè Thomæ significant, singulis pauperibus abundè subuentum esse, sed adhuc residuum mille, & quingentorum scutorum remanere. Turbatus est Thomas, illisquè dixit: Cur hic me detinetis adhuc nè eam ad fruendum bono, quod mihi parauit Dominus? Puto enim protrahet præsentem vitam, vsquè dum sciam, nihil domo

su-

:reffe. Properate igitur,& opus absoluite,nè ipse diutiùs hic
abore remorer, sed in pace Christi quiescam.
Interim iussit Thomas in suo cubiculo sacrum fieri, dictitans,
propemodum, adhuc ante discessum cupere, sub speciebus vi-
e Deum Creatorem, & Redemptorem suum, quem protinus
cie ad faciem intueri posse sperabat. Paratur sacrificium, &
:ordatus Thomas, cuidam Commentariensi Patrifamilias in-
mma egestate posito, nihil in diuisione supellectilis addixisse,
ssit illum vocari, eiquè cubile, in quo iacebat, elargitus, vê-
ım de sua obliuione rogauit, statimquè innuit, vt ipse è cu-
i sublatus, humi super storea prosterneretur, vt Custos, quod
am erat, secum afferre posset; Abnuunt parere adstantes, id qui-
m non sinè periculo celerioris eius exitus exequi posse, asse-
ntes. Tunc Thomas virtuti charitatis virtutem humilitatis
lijciens, inaudito prorsus exemplo, Custodem deprecatus est,
sibi, pro visceribus Iesu Christi, vsum cubilis ad mortem vsque
ommodaret.

Reuertuntur tandem qui pecuniæ residuum pauperibus ero-
auerant, eiq; nunciant, nihil dispergendum restare; Thomas il-
s gratias agens, addidit; nunc lætus ad agonem propero, nū-
us cum nudo, nil habens vnde tenear, contra malignos spiritus,
ortiter luctaturus; statimquè petijt, vt sacramento extremæ vn-
tionis muniretur, quod non minori pietate suscepit, comet
um Sacerdote psalmos Dauidicos recitante. Mox inchoatur
nissa, & iubet Thomas, sibi interim legi Euangelium Passionis
Domini secundum Ioannem, quod audiens, ad singulas peryo-
os lectori, vt subsisteret, innuebat, & cum paululùm medita-
us esset, rursus, vt lectionem prosequeretur, indicabat. Au-
ustissimum Sacramentum, erga quod semper propensissimus ex-
itit, dum à Sacerdote eleuabatur, mira humilitate adorauit, &
ex gaudio in lachrymarum vim profusus, inchoauit psalmum,
*Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in
pace*: eoquè absoluto subdidit, *In manus tuas Domine commen-
do spiritum meum*, & hæc dicens expirauit, & Beatissimam ani-
nam Creatori restituit die 8. Septembris 1555. inter septimam,
& octauam horam Vesperi Natiuitatis Beatissimæ Mariæ Vir-
ginis, cuius præcipuè, in humanis degens, amore languebat.

Cle-

Clerus, & Populus, audita Thomæ desperata salute ad Deum confugientes, indicta, & celebrata generali supplicatione, in Ecclesia Sancti Thomæ Apostoli stationem peregerunt; illisquè pietatis huiuscè actus prosequentibus, adeò vniuersalis ploratus inualuit, vt Cleri cantus minimè audiretur, & ad antiphonam; *Non sumus digni à te exaudiri*, Cantores dolore, & commiseratione commoti, illam præ lachrymis absoluere nequirent; Cumque campanæ sonitus, quo Episcopi obitus euulgabatur, auditus esset, ita planctus omniũ erupit, vt sanè vniuersalis iudicij imaginem dies illa præseferre videretur, & cuiusuis conditionis homines quasi insensati per vias diuertentes, Parentem amisisse conquererentur: & hæc ingentis doloris iustissima omnium querimonia terrorem maximum incutiebat.

Delatum est Thomæ corpus ad Cathedralem, vbi tota nocte dimissum quieuit, & cuncti ad eius pedes, ac manus deosculandos se se admouerunt; mox inde ad Ecclesiam S. Mariæ de Succursu, sequenti die translatum est, penès quod ita gemitus, & suspiria resonabant, vt sanè cunctorum animæ, præ lachrymis, è corporibus erumpere viderentur.

Necesse autem fuit, vt horam, qua corpus humo tradendum erat, fratres dissimularent, nè Populus operis executionem impediret. Successiuè tanta dignatus est Deus operari miracula, intercessione Thomæ, vt acceptis ab Ordinario, Ioanne scilicet de Ribera Patriarcha Antiocheno, & Archiepiscopo Valentino, probationibus super fidei puritate, morum integritate, vitæ sanctimonia, & miraculis; Processus informatiuus exindè compilatus, ad Vrbem transmissus esset, & Sacrorum Rit. Congregationi exhibitus anno 1608.

Quare ad preces semel, iterùm, ac tertiò repetitas Philippi Tertij Hispaniarum Regis Catholici, Archiepiscoporum, Episcoporum, Procerum, Deputatorum Regni Valentiæ, & Populi Ciuitatis eiusdem, necnon totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Paulus V. Processum examinari iussit: & Congregatio die 27. Iulij anno 1609. Cardinali Millino prouinciam referendi contenta in eodem processu, demandauit, qui die 24. Augusti eiusdem anni mandatum expleuit, & Congregatio censuit sufficientem exinde sanctitatis, virtutum, præcellentis charitatis, &

mira-

iraculorum fumum percipi, vt in eadem causa Sedis Apostoli-
e auctoritas interponi posset.

Hisquè Paulo V. relatis à Cardinale Pinello in Consistorio se-
eto die decimanona Octobris anno 1609. idem annuit, & lit-
ris in forma Breuis datis die 26. Nouembris eiusdem anni, Con-
regationi facultatem attribuit, inquirendi tantùm in genere, ac
esuper remissoriam, & compulsoriam à Procuratoribus causæ
etitas decernendi, quæ die 28. eiusdem ab eadem Congrega-
one relaxatæ, directæ fuerunt Patriarchæ Antiocheno, Archie-
iscopo Valentino, præfato, eiusquè Suffraganeo Vicario genera-
, necnon Episcopo Oriolensi. Hi iudices deputati, statim proces-
um in genere in Ciuitate Valentiæ absolutum, clausum ad Vr-
em transmiserunt die 30. Maij 1610. die vero 12. Iunij eiusdem
nni processus huiusmodi, vt præfertur, auctoritate Apostolica
onfectus à Iudicibus Remissorialibus Episcopo Oriolensi, & Ele-
o Segobricen, Vicario Generali, & Officiali Archiepiscopi
alentini, à Procuratore causæ exhibitus, in Congregatione
rdinaria apertus est, eiusdemquè discussio, ac relatio Cardina-
Millino olim Relatori deputato commissæ fuerunt, qui mu-
us expleuit die 7. Augusti eiusdem anni, & Congregatio de-
larauit, satis superquè constare de fama puritatis fidei, & sancti-
itis vitæ, dequè miraculis, & populi erga Fratrem Thomam
euotione in genere: ideoquè posse remissoriales, & compulso-
ales litteras in specie relaxari; mox cum Summus Pontifex
ouas litteras similiter in forma Breuis, cum facultatibus oppor-
unis ad ipsam Congregationem dirigi annuisset, quas idem
aulus V. dedit die 20. Septembris anno 1610. cum facultate
iquirendi in specie, & ad effectum huiusmodi, decernendi
missoriam, & compulsoriam desuper necessarias: eas Congre-
atio relaxauit die nona Octobris eiusdem anni, directas pro
Diœcesi Toletana Bernardo Cardinali Royas Archiepiscopo
oletano, etiam cum facultate substinendi: pro Ciuitate verò,
Diœcesi Valentina Archiepiscopo, eiusquè Vicario genera-
. Verùm habito post nuncio de obitu Archiepiscopi eiusdem,
itequam illi exhibitæ, ac de more præsentatæ fuissent, eædem
teræ, Congregatio die 26. Februarij anno 1611. facultatem
ansmisit Episcopis Marochitano, Coronensi, & Segobricensi

E simul

ſimul ac inſolidum aperiendi, necnon executioni demandandi litteras huiuſmodi, Archiepiſcopo Valentino defuncto, eiuſquè Vicario directas.

Die prima Septembris anno 1612. Procurator cauſæ Congregationi præſentauit proceſſum Valentiæ confectum ab Epiſcopis Marochitano,& Coronenſi,ab ijſdemq;ſubſcriptum die 14.Aprilis eiuſdem anni, quem Congregatio iuſſit aperiri, & ex hiſpano idiomate in latinum verti.

Die ſecunda Martij anno 1613 idem Procurator præſentauit proceſſum Toleti confectum, & ad Vrbem tranſmiſſum cum litteris Vicarij generalis Archiepiſcopi Toletani, & ab eodem, vigore facultatis, Iudicis ſubdelegati. Et Congregatio mandauit proceſſum huiuſmodi aperiri, & interpretari.

Pluries deinde repetitis in Congregatione precibus Hiſpaniarum Regis Catholici, Regni Valentiæ, & Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, nempe diebus 16. Nouembris anno 1613. 15. Februarij, 1. Martij, & 28. Iunij 1614.

Tandem die 30.Septembris eiuſdem anni,Congregatio,auditis contentis in proceſſibus prædictis, relatis à Cardinale Lancellotto, in locum Cardinalis Millini abſentis Relatore ſubrogato, cenſuit cauſam in tali ſtatu reperiri, vt poſſet Auditoribus Rotæ tunc de more committi, & facta de prædictis Summo Pontifici relatione per Cardinales Gallum, & Lancellottum in Conſiſtorio ſecretò die ſexta Octobris 1614. idem annuit, & de mandato Congregationis,Proceſſus prædicti per Mucantium eo tempore Secretarium,traditi fuerunt Vincentio Romerio Notario Rotæ.

Succeſſiuè Paulus V.die vndecima eiuſdem menſis Octobris ſignauit Commiſſionem, qua Auditoribus Rotæ Sacrato, Coccino, & Manzanedo iniunxit, vt proceſſus huiuſmodi maturè perpenderent, acriter diſcuterent, ac de contentis in ijſdem Sanctitati Suæ pleniſſimam relationem facerent, quæ Commiſſio ſignata, & ſubſcripta à Regente Cancellariæ in Banco Curſorum porrecta fuit die 16. Octobris Mucantio Secretario, & ab eo præfato Notario Rotæ.

Diſcuſſis in Rota releuantia, ac validitate dd.Proceſſum à Iudicibus Commiſſarijs,ijdem Sanctiſſimo,dimiſſa ſimul copia relatio-

onis, oretenus retulerunt die 23. Ianuarij anno 1618. processus validè fuisse confectos, testes ritè examinatos, necnon plenissimè constare de fidei puritate, sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis in specie: ideoquè posse quandocunque ad Fratris Thomæ Canonizationem procedi.

Die 28.eiusdem, Orator Regis Cathólici nouas eiusdem litteras, ac supplicem libellum Summo Pontifici præsentauit, quibus permota Sanctitas Sua, die tertia Februarij rursus commisit causæ huius cognitionem Congregationi Sacrorum Rituum ad effectum Beatificationis.

Congregatio autem die duodecima Martij anno 1618. iterum deputauit Relatorem causæ Cardinalem Lancellottum.

Die 31.eiusdem censuit cōstare de virtutibus Theologalibus, scilicet fide, spe, & charitate, tùm in Deum, cùm erga proximum: necnon duo miracula, ad comprobandam fidei magnitudinem, in vita patrata, nempe multiplicationis tritici, & sanationis claudi, concludenter probata, & esse vera miracula, declarauit.

Die 23. Aprilis addidit, plenissimè etiam probari virtutes Prudentiæ, & iustitiæ in gradu heroico.

Die tertia Iunij fuerunt approbatæ aliæ duæ virtutes Cardinales, temperantia, & fortitudo.

Die verò 21. Iulij 1618. Congregatio declarauit, plenissimè constare, nedum de prædictis, sed de reliquis virtutibus, similiter in gradu heroico, dequè fidei puritate, vitæ sanctimonia, & populi frequentia ad sepulchrum Serui Dei, necnon validos esse processus, ac releuantes etiam quoad quatuor infrascripta miracula, vtpotè concludentissimè probata, scilicet.

Paulus Franciscus natus Gabriele Cardona, & Augustina Assentia, Ciuitatis Valentiæ Incolis, in decimo constitutus mense, febri aggressus est, & ad septimum ferè mensem ita morbus inualuit, vt Physici remedijs omnibus incassum adhibitis, spe penitùs destituti, illū Diuino tantùm auxilio commendandum, Matri dixissent, qui mox forti deliquio correptus, cum post tres horæ quadrantes, reuixisset, paulatim tandem animam exhalauit, & pallidus, rigidusquè omninò euasit. Mater à vicinis impulsa, indè defunctum puerum ad sepulchrum Thomæ detulit, eius-

què auxilium cum lachrymis implorauit; statimquè puer erecto capite matrem intuens clamauit, mater, & os illico ad mammillas admouens, prorsus incolumis lac, à quo triduo penitùs abstinuerat, sugere cœpit.

Sperantia Valeria filia Antonij Fabræ, & Sperãtiæ Crespæ Incolarum Valentiç sex mensibus nata, lenta febri laborare cœpit, eaquè decem mensibus vexata, ac paulatim viribus destituta, tandem fato cessit; tribus elapsis horis, mater penès se habere recordata est de terra Sepulchri Serui Dei Thomæ, illamquè acceptam puellæ gutturi imposuit, & flexis genibus in hæc verba Thomam precata est, Benedicte Sancte Frater Thoma, rogo te, vt obtineas à Deo resurrectionem filiæ meæ, magnoperè enim in te confido, & te Sanctum esse profiteor, statimquè puella reuixit, & lac, à quo aliquibus diebus sibi temperauerat, illicò suxit, diuquè vixit incolumis.

Francisca Nadal Vidua, Valentiæ degens, in vigesimo sexto ætatis anno constituta, tremore, & pauore affecta est, ac subinde quædam grana in mento, naribus, & fronte emisit, quæ adeò excreuerunt, vt remedijs naturalibus morbi malitiam potiùs excitantibus, quàm corripientibus, ad vitæ extremum perducta esset: Ei igitur à Physicis, & Chirurgo pro incurabili derelictæ, & bis sacro Oleo per linitæ, Mater Serui Dei Thomæ reliquijs ad eam allatis, suasit, vt illi se ex corde commendaret, & ipsa ex præcordijs affectum eliciens, ei se totam deuouit, statimquè se melius haberi sensit, ac breui carcinomatis morbum, nullo mox adhibito naturali remedio penitùs excussit.

Catharina Vincentia filia Antonij Rossellon Domicelli Valentiæ, vigesimum quintum annum agens, in genu, & femore, incurabili plagarum morbo quinquennio affecta, & ad vitæ extremum assiduo dolore perducta, die Beatæ Mariæ Angelorum inibi festiuo, anno 1603. extremæ vnctionis Sacramento munita est, deinde cum lachrymis ad Serui Dei Thomæ patrocinium confugit, statimquè conualescere cœpit, & nullo mox naturali remedio vsa, breui pristinam salutem recuperauit, diuquè vitam temporalem incolumem duxit.

Subindè eadem Congregatio die 18. Augusti anno 1618. alia quatuor miracula sufficiẽter probata extitisse declarauit, scilicet

Mar-

Marcella filia Antonij Matthæi de Lizania, & Marcellæ Esconæ Coniugum, Incolarum Valentiæ, tertium annum agens, triestri morbo distillationis in pectore affecta, & vehementi, assiuaquè tussi tandem afflictata; ita sanguinem è pectore per os iomere cœpit, vt nec cibum sumere, nec sumptum detinere posset; inde distillatio ad oculos descendit. Quamobrem, ad illus curam remedijs omnibus incassum adhibitis, spe prorsus ad ristinam salutem redeundi destituta, à famula ad sepulchrum Thomæ delata est, indeq; dimissa Sacristæ eleemosyna, pro Missa, postera die celebranda, ad domum ducta, sequenti die, illa ora, qua sacrum ibi conficiebatur, Puella sanata est, & è cubi surgens, ad matrem incolumis festina perrexit, oculis adeò laris, & validis, vt Solem sine læsione aspiceret, ac si nunquam ophtalmiæ morbum passa fuisset.

Petrus Antonius Sutor, Valentiæ Incola, cùm Taurorum ludis interesset, Tauro in eum irruente, in latere grauiter elisus, in terram cecidit, indequè super scalam stratus ad domum delatus est. Biennio remedijs humanis adhibitis, sed frustra, fulcimenis se tandem commisit, quorum auxilio suffultus, vix tamen incedere poterat: adeò enim neruis contractus erat, vt palmum vnum à terra pes alter distaret: deinde se Seruo Dei Thomæ ex corde commendauit, spondens se nouennialis accessus obsequijs ad sepulchrum illius vacaturum. initio nouenæ cum vnico tantùm fulcimento incedendi gratiam obtinuit, & nec expleta nouena, prorsus validus aliud fulcimentum dimisit: Cumquè diu vixisset, nunquam vel minimum eiusdem morbi incommodum sensit.

Iacobus Ceruera Cæmentarius, Valentiæ Incola, proprij ensis cuspide sinistrum sibi latus vulnerauit, sanato deinde vulnere, ex atroci humore ibidem effluxo, vlcera quàm plurima prodiere, quibus per quatuordecim annos vexatus, mense Septembris 1605. febri, & anginæ dolore correptus est, hisquè per mensem affectus, eò intensiùs vlcerum dolore cruciabatur: quare ad extremam vim morbi perductus, suasus à pia muliere se Dei Seruo Thomæ deuouit, & triduò sanus, ac validus absquè naturali remedio, mirabiliter euasit.

Vincentius Ciprer de Paternoy, Ciuis, & Incola Valentinus quin-

quinquaginta, & tres annos natus à laterum dolore vexari cœpit, & forti mox paralysi correptus: vsuq; dextri brachij, lateris, & cruris penitùs destitutus, cum à natura remedium desperaret, ad Thomæ patrocinium confugit, spondens in Canonizationis processu, testimonium se perhibiturum de salute, sibi indulta. Cumquè dulci sopore correptus paululùm obdormisset, euigilās, impedimenti prorsus oblitus, statim se dextera manu, signo Crucis muniuit, & expertus deinde, an morbi residuum superesset, se totum incolumem, & prorsus liberum comperit.

Prædictis, inquam, miraculis approbatis, Congregatio die 7. Septembris anno 1618. referente Cardinale Lancellotto, rursus declarauit, plenissimè constare de validitate processuum, dequè virtutum excellentia: puritate fidei: sanctitate vitæ: operatione miraculorum, ac deniquè de fama sanctitatis, & frequentia populi ad sepulchrum Serui Dei Thomæ, ac propterea censuit, quòd si Summo Pontifici placuisset, posset ille in posterum nuncupari Beatus, atquè singulis annis die 18. Septembris, in toto Regno Valentiæ à Religiosis vtriusquè Ordinis Sancti Augustini, necnon in Ciuitate Valentiæ, vbi Corpus requiescit, ab vtroquè Clero, de eo, tanquam de Beato, Officium de Communi Confessoris Pontificis recitari, & Missam pariter celebrari.

Quibus annuens Paulus V. desuper concessit litteras Apostolicas in forma Breuis, datas die 14. Septembris 1618.

Successiuè die 19. Augusti 1619. ad preces Philippi Tertij Regis Catholici, necnon Deputatorum, Electorum, & Syndicorum Regni Valentiæ, & totius Ordinis Sancti Augustini, Congregatio prædictum Indultum censuit extendi posse ad omnes vtriusquè sexus eiusdem Ordinis, in Regnis Castellæ, Aragoniæ, & Cataloniæ degentes, necnon ad vtrumquè Clerum Oppidi Villanouæ, & die trigesima Martij, anno 1621. rursus extendi censuit ad omnes vtriusquè sexus Religiosos Ordinis Sancti Augustini vbiquè terrarum existentes, quas extensiones Gregorius XV. approbauit, litteris in forma Breuis datis die 19. Aprilis, & decima quarta Maij anno 1621.

Die verò sexta Decembris anni 1621. repetita in Congregatione octo prædictorum miraculorum approbatione, duobus insuper miraculis eadem Congregatio subscripsit, eaquè sufficienter

ter

r probata, ac vera miracula esse declarauit, vt potè.

Catharina Montalta Vxor Antonij Sollent, tenuissimæ conitionis Agricolæ, in Oppido Patrario degens, cum è sexto parı decumberet,& ex omnimodo lactis defectu,paruulos infantes lere nequiret, premente rei familiaris inopia, nè nutricibus eos ıctandos tradere posset,præ cordis affectu ad Thomę patrociniū onfugit, & acceptis è floribus, quibus Serui Dei Sepulchrum ɛspersum erat, illisquè inter sua vbera sepositis, sensit illicò ea ıcte adeò repleri, vt per papillas præ nimia copia illud extillaet; & protinus incredibili lætitia perfusa,infantem, quem inter rachia gestabat, ad mammillas admotum, exaturauit.

Ludouicus Lemosi Chirurgus, & Incola Valentinus sexennio ›odagra in dextri pedis pollice vexatus, semel, aut bis in mense, x quandoquè etiam octiduo quolibet,cubili affixus,& vehemeni dolore cruciatus, remedijs naturalibus quibuscumquè in casum vsus, se tandem Thomæ auxilio commendauit, precibusquè peractis, optatæ sanitati restitutus est, & nunquam eodem morbo diu superstes laborauit.

Hisquè, & alijs in causa dudum euulgatis, ac recensitis decretis omnibus desuper editis, permota Congregatio, ad relationem Cardinalis Millini,prædicta die sexta Decemb. anno 1621. censuit tutò posse Summum Pontificem quandocumquè ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem, iuxta S. R. E. Ritum, & Sacrorum Canonum dispositionem, deuenire, cumquè Sanctum declarare, & tanquam cum Deo regnantem, vniuersali Ecclesiæ colendum, proponere.

Superuenerunt deinde nouissima decreta san. mem. Vrbani VIII. & siluit eiusmodi causa vsquè ad annum 1649.

Quo anno die 13. Iulij coram san. mem. Innocentio Decimo facta fuit omnium præmissorum relatio, & die 15. eiusdem signata commissio reassumptionis causæ in statu, & terminis, in quibus tunc eadem reperiebatur. Mox die 24. deputatus fuit in Relatorem Cardinalis Cornelius, cui die 21. Augusti demandata est cura agnoscendi, An casus versaretur inter exceptos; eoquè referente die 25. Septembris, declaratum extitit, quòd constaret, Beato Thomæ cultum fuisse exhibitum, & exhiberi ex Indultis Pauli V. & Gregorij XV. ideoquè casum comprehendi

di inter exceptos à decretis, super non cultu editis.

Die 16. Nouembris demandatum est Cardinali Relatori, adhibitis Patribus Hilarione, & Alciato Consultoribus, examen operum eiusdem serui Dei Thomæ, & die 7. Martij 1650 decretum fuit, nihil in illis contra fidem, & bonos mores, nec aliquam doctrinam nouam, vel à communi Ecclesiæ sensu alienam contineri.

Præterea die sexta Februarij anno 1652. fuerunt directæ litteræ remissoriales ad probandum ea, quę superuenerunt post indultam eidem Beato venerationem, eæquè die 2. Maij eiusdem anni relaxatæ, directæ fuerunt Archiepiscopo Valentino, necnon Episcopis Segobricensi, & Derthusensi.

Die 8. Maij anno 1655. indultum fuit, vt ijdem Processus ad Curiam transmissi, aperirentur, & in locum Cardinalis Cornelij defuncti subrogatus est Card. Pallottus, à quo ijsdem Processibus in Sacra Congregatione die 28. Martij 1656. relatis, ab eaquè maturè discussis; declaratio emanauit, quòd abundè constaret de validitate, & releuantia, nedum quoad incrementum cultus, verùm etiam, quoad duo infrascripta miracula, quæ vera esse miracula, & sufficienter probata, Sanctitas Vestra pronunciauit videlicet.

Ioannes Alapont buccini pulsator, vigintiquatuor annis in morbo deformis herniæ confirmatus (delapsis enim ad infima intestinis, ea scrotum longitudinis duorum palmorum, & circumferentiæ trium cum dimidio efformabant, itaut tandem incedendi vsu penitus destitutus esset, & ad vitæ extremum perductus), anno 1649. die 8. solemnitatis Beati Thomæ, sibi ab vxore Imaginem Beati, à se depictam deferri, & columnæ cubilis appendi iussit; Imperata fecit vxor, & è cubiculo egressa est; Tunc Ioannes oculorum acie ad Imaginem Beati directa, Thomam deprecatus, vt sanitatem à Deo sibi impetraret, statim conualuit, & intestina ad naturalem sedem reuersa sunt, adeòquè tumor euanuit, vt nec ruga quidem extrinsecùs in ea parte appareret; & illicò è cubili validus assurgens, ad Sepulchrum Beati perrexit, & buccini pulsationi vacans, nec minimam læsionem aut recidiuam exindè ampliùs expertus est.

Vincentia Matthæù Puella septennis, Valentia Incola, die

octaua

ctaua Septembris anno 1640. dum aquam hauriret, hydriarum ondere pressa, in putei profundum delapsa est. Pater cum viinis, audito ictu properauit ad puteum, & inuocato Beati Thomæ auxilio, in eum descendit, puellæquè sub aquis perquirendæ imis anxius, parùm defuit, quin etiam ipse periclitaretur, At dfuit Hieronymus Cuccarella, qui primò Parentem è puteo duxit, deinde liberandæ filiæ curam adijciens, se se in puteum eijciendo, diù, sed frustrà, etiam sub aquis puellam conquisiit, tantùm illa penitùs sub aquis latebat: tandem vncis adhibiis, post duas horas cum quadrante circiter exanimem puellam puteo extraxit, quam Pater gemebundus, auxilium Beati Thomæ nunquàm desinens implorare, ad domum detulit, ibiquè uella vires, ac spiritum reassumpsit, & sana prorsus, ac valida, è omo exiliens cum pueris statim ludere cœpit.

Nihil idcircò remanet desiderandum, cum, adimpletis his, quæ ouissima decreta expetunt, Sacræ Congregationis sententia, uòd posset quandocumquè ad Beati Thomæ Canonizationem utò deueniri, penitùs reuiuiscat; & quidem tantùm superest, vt anctitas Vestra humillimis, ac studiosissimis plurijes, & nouissimè repetitis obsecrationibus Philippi Quarti Hispaniarum Regis Catholici, Archiepiscoporum, Episcoporum, Procerum, ac Regnorum Hispaniæ, necnon totius Ordinis Eremitarum S. Augustini benignissimè annuat. Quod certè in maximum Ecclesiæ nilitantis exemplum cedet, cum Beatus Thomas, singulare specimen charitatis, & Pontificalis Ordinis decus præcipuum, post entum, & duos annos ab eius obitu, in quadragesimo ab in ulta eidem veneratione existens; post lapsum, inquam triginta erè annorum, in quo Sedes Apostolica Sanctorum albo nemiem adscripsit, hoc accidentalis gloriæ incrementum à Sanctitae Vestra, iuremeritò, exigat.

Absoluta Congregatione, duxi ad Sanctissimi pedes P. Procuratorem Generalé Ordinis S. Augustini, & P. Assitentem Hispaiarum Causæ Procuratorem, quibus Sanctissimus imperauit, vt pportuna omnia ad Canonizationis solemnia peragenda parant annuente Deo, Kalendis Nouembris celebranda; Iidem vero Suæ Sanctitatis pedibus exosculatis, ei humillimas gratias gerunt, & hilares ad Conuentum properarunt, statimquè in Hi-

ſpanias Tabellario tranſmiſſo, Romæ Artificibus, quæ conſtruenda eſſent commiſerunt.

Ipſe verò decretum Sacræ Congregationis tenoris, vt ſequitur, euulgaui.

Valentina.
Canonizationis B. Fratris Thomæ de Villanoua.

In Cauſa Canonizationis Beati Fratris Thomæ de Villanoua Archiepiſcopi Valentini Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, expletis omnibus, quæ nouiſſima etiam Decreta expetunt: de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri Diuina diſpoſitione Papæ VII. in Generali Sacrorum Rituum Congregatione habita coram Sanctitate Sua, per Eminentiſs. D. Card. Pallottum facta fuit pleniſſima, & diſtincta Relatio vitæ ſanctitatis, virtutum, & miraculorum, necnon actorum omnium in eadem cauſa ab eius introductione, & reaſſumptione, tàm de his, quæ præceſſerunt, quàm de his, quæ Beatificationi ſucceſſerunt; eaquè audita, Sanctiſſimus (quamuis Sac. eadem Congregatio aliàs die ſexta Decembris 1621. cenſuiſſet, poſſe quandocumquè ad ſolemnem eiuſdem Beati Canonizationem tutò deueniri) tùm Conſultoribus, cùm Cardinalibus ibidem præſentibus imperauit, vt ſinguli ſuas ſententias rurſus aperirent, & omnes fuerunt vnanimes in affirmatiua, ſcilicet, vt B. Thomas, ob inſignem in pauperes liberalitatem, cognomento Eleemoſynarius, quem Deus Præſulibus præſertim in exemplum poſuit, eorumdem, ac reliqui Chriſti fidelium cœtus venerationi, vti cum Deo regnans, proponendus omninò videatur; id quidem in maximam Eccleſiæ militantis vtilitatem, & ſolamen ceſſurum fore, non hæſitantes. Die 22. Iunij 1658.

Mox ipſe alam Relationem congeſſi in Conſiſtorio Secreto per Eminentiſs. Dominum Cardinalem Sacchettum Sac. Congr. Præfectum referendam; idemquè Conſiſtorium præcedenti die

de

: more indictum, celebratum fuit die 2. Septembris, in quo post
iditos à Sanctissimo Cardinales, clausis de more ianuis, Car-
alis præfatus eamdem relationem mira pietate perlegit.

Charitatis Triumphum loquar, Beatissime Pater, Beati Fratris
homæ de Villanoua Archiepiscopi Valentini assiduum, ac sep-
agenarium propè bellandi, semperquè vincendi studium dum
eferam; triumphum scilicet ob partam à peccatis victoriam,
on quidem libertate vindicata, verùm illa acerrimè propugna-
: nequaquàm ob iugum seruitutis vnico, & præciso certamine
xcussum, sed diuturna, ac nunquàm intermissa dimicatione
itatum. Etenim Thomæ charitas non potuit operire multitu-
inem peccatorum, à quibus ille (è grauibus inquam) se immu-
em custodiuit; sed viriliùs agendo, ita tentationes omnes re-
idit, vt idem innocentem vitam, vsquè ad supremum articulum
irificè duxerit. Huiuscè autem ingentis virtutis elogium con-
isa narratione pertexam, ne debitum Maiestati Auditoris, ob-
equium me neglexisse, meritò reprehendar.

Natus est Thomas de Villanoua in Castro Fontisplani Tole-
næ Diœcesis, in Domo materna, anno millesimo quadringen-
simo octogesimo octauo, ex Alphonso Thoma Garzia de Villa-
oua eiusdem Diœcesis Oppido, & Lucia Martinez Castellana.
li Religionem Catholicam adeò coluere, vt in suis Domibus
nquisitores Regni Murciæ hospitio excipere solerent: in pau-
eres verò liberales adeò fuerè, vt nunquàm à se vacuo sinu ege-
um abscessisse permiserint.

Thomas verò ibidem baptizatus, piæ educationi ita respon-
t, vt puer adhuc rationis vsu carens, apprimè tamen intellexe-
t super egenum, & pauperem; si quidem ientacula sibi, gym-
asium petenti, tradi solita, esurientibus partiebatur; sago tho-
ce, caligis, pileo, & pallio exutus domum crebrò repetebat,
ibus nudos operuerat, & pane quotidiano à genitoribus elee-
osynæ addicto, integrè iam disperso, ne egenis aliquando
tium subindè percutientibus alimoniam denegaret, portio-
m sibi ad prandium constitutam, precibus à Matre acceptam,
ondens ea die se minimè comesturum, ijs largiebatur: At
rè ferente Matre, Thomam simili abstinentia viribus nimiùm

 desti-

destitui, is, nè animum eamdem portionem egenis tribuendi propalaret: illa, ac si cum amicis comedenda, extra domum delata, & pauperibus tradita, se saturum demonstrans, ea die prorsus à cibo sibi temperabat.

Pubes factus, & ad ætatis gradum supra modum crescente eius in Deum, & proximum charitate, nullius tribulati lamenta contempsit: nullius egeni reiecit supplicationes; oculus fuit cæcorum: claudorum pes: pauperum diuitiæ: afflictorum spes, & solatium; A Genitore missus ad Agrum, vt messi præesset, cibum sibi, ac messoribus allatum, egenis spicas colligentibus, distribuebat. Et iussus aliquando, vt à pauperibus Agricolis frumentum à pio Parente gratis accommodatum, recuperaret, si eos inopia pressos experiebatur, Patrem enixè rogabat, vt illis debitum pro Dei amore remitteret, semelquè veritus, nè Pater precibus non assentiret, Villico debitori imperauit, vt saccos, nisi posset frumento, palea refertos ad horreum deferret, quibus mox in horreo vacuatis, interrogatus Patri respondit: saccos à Villico plenos iam delatos in horreo vacuasse, & ita mendacium effugiens, Villici inopiæ consuluit.

Oua recèns nata, ad Xenodochium languentibus reficiendis, deferebat, & vna die egenis ostium percutientibus, cum Mater è domo egressa esset, imparato, nec dimisso pane ad eleemosynam constituto, pullos è gallina domi existente subtractos, inter pauperes diuisit: Matri de illis sciscitanti respondens, mater domo egressura, quæso panem pauperibus frangendum dimittas, vt redux posthàc pullos inuenias.

Ecclesias frequenter adibat, & orationi etiam domi semper assiduus cilicio, & flagellis carnem domabat, quæ in cubili, ab eo per obliuionem relicta, Mater, non præter admirationem aliquando reperit; Præterea eò modestus fuit, vt nunquam, à terra oculos eleuare consueuerit; adeòque castus, vt Virgo vna omnium voce diceretur.

Talibus quibusdam præludijs puer præparabatur ad eum, qui se manebat in fortiori ætate conflictum; iamquè ipse Aduersarium prouocabat. Hinc iam, idest ab abolescentia eius, cœpit manifestiùs apparere, quid esset in homine, & gratia Dei in illo vacua non videri. Ad Collegium Sancti Ildephonsi celebris Academiæ Complutensis missus, ibiquè litteris omnibus, ac præ-

sertim

ertim ſacris adipiſcendis intentus, non impatiens Magiſterij: ion fugitans diſciplinæ: non lectionis faſtidiens: non ludorum tiquè appetens, proficiebat ſupra omnes coetaneos ſuos in illa iteratura, quæ illi competebat ætati; nam in diſciplina morum, rofectuquè virtutum, etiam ſuper omnes docentes ſe in breui nituit, Spiritus Sancti vnctione magiſtra. Hac ſolicitante exerebatur petere ſecretum, anticipare vigilias, meditari in lege, cfici parcius, & ante Crucifixi imaginem orare frequentiùs.

Et audito Patris obitu, cogitans nil ſibi poſſe perire ex omnius, quæ in opus pietatis expenderet; Domo paterna in Cœnoium instituta, alendis ibidem egenis Virginibus integrum parimonium addixit; fœnerator egregius, id totum tradens, quod etinere nequibat, recepturus, quod nunquam poſſet amittere: nodicum dimittens, centuplum accepturus: temporali ſe poſeſſione abdicans, vt ſempiternam hæreditatem aſſequeretur. Cuius exemplum imitata Agnes Garzia eius amita valde locules fœmina, venditis omnibus, quæ poſſidebat, ea in pauperes rogauit, & Xenodochium quotidiè inuiſens, languentium obequijs reſiduum vitæ conſumpſit.

Thomas autem, ijs vitæ innocentia, morum integritate, ac omium virtutum cumulo, ad vigeſimum ſeptimum ætatis annum dductus, videns induſtrius vir, quàm in maligno mundus poſius ſit, & cogitans, qualem ſpiritum iam à Deo accepiſſet, ſimuluè attendens, ſe theſaurum hunc habere in fictili vaſe, verenumq; eſſe, ne impingeret, & frangeretur, & effunderetur oleum etitiæ, quod portabat: mundo vale dicens, in Conuentu Salantino Sanctum Auguſtinum ſibi Magiſtrum, parentem, deenſorem, quæſiuit; & cum, mira abdicatione ſuæ voluntatis, ac xacta Regularis inſtituti obſeruatione, ſe veteranum militem eſe, experimento comprobaſſet, ad eius Religionis ſpiritualem ilitiam, votis emiſſis, adſcriptus fuit. Nouum iam bellum ontra vitium indixit Thomas, & qui de hoſte validiſſimo in ſe ſo triumphauerat, illum de proximorum cordibus profligatuis, linguæ ſarculo cœpit euellere, deſtruere, diſſipare vitia, ctitans quotidie praua in directa, & aſpera in vias planas, vero oris Domini: clamans etenim, non ceſſauit quaſi tuba exalns vocem ſuam, peccatores ad officium reuocare, & dæmonio-

rum

rum genus, quod verbo eijcere ab obsessis animabus non poterat, orationibus, ieiunijs, crebrisquè flagellis expellere satagebat. Ita deniquè totus suus, & totus omnium erat, vt nec charitas à custodia sui, nec proprietas ab vtilitate communi illum impediret; Primus omnium in Chorum ingredi, vltimus ex illo egredi consuetus, in meditatione assiduus, in abstinentia exactissimus, in humilitate sublimis, ditissimus in paupertate, breui factus est in fluuium magnum, qui riuulus erat, & riuus ibat, & intumescebat inundans, & negans omninò transitum volentibus malignari.

Quapropter, vix biennio elapso, Prior eiusdem Conuentus Salmantini suffectus, deinde ad præstantiora quæquè munia euectus, Prioris videlicet, Sancti Augustini Burgensis, Visitatoris Prouinciarum Bèthicæ & Castellæ, Prouincialis, ac Definitoris eiusdem Prouinciæ Castellæ, ac Prioris Vallisoletani, Viris vitæ sanctimonia & litterarum præstantia insignibus Sancti Augustini familiam auxit.

Regularem verò disciplinam penitùs collapsam in Cœnobijs, quibus idem præfuit, indefesso studio, & grauia passus incommoda restituit, quare inter Reformatores Constitutionis Ordinis numerari promeruit.

Pro his autem eius in dies crebrescente fama, nomen grande adeptus est Thomas, itaut glo: me: Carolus Quintus Imperator Augustus, & Philippus Secundus Rex Hispaniarum Catholicus, eum Granatensi Ecclesiæ præficiendum Summo Pontifici præsentassent, nisi ille eam accipere constantissimè renuisset; Sua enim Cella, & sola tunica contentus viuens, omne sublime haud secùs, quàm suum præcipitium declinabat. Cæterùm accedentibus ad vim faciendam Superioris consilio, atquè mandato, à quibus ille pendebat totus, vix tandem proposito cessit; vacabat enim tunc Sedes etiam Valentina, cuius deplorabilem statum, ob diuturnam eius viduitatem, commiserati pij ijdem Principes, egerunt, vt Thomas illius curam suscipere cogeretur, idquè ex voto euenit: nam Thomas licèt inuitus, & multis cum lachrymis, cellam reliquit, & ad Ecclesiæ possessionem capessendam, quouis fastu contempto, habitu tantùm Religionis indutus, vnico socio comite itineris adhibito, pedès contendit.

Vbi

Vbi cum multitudinem operantium iniquitatem, & esse tem-
as inibi comperisset, vt ne dum laici, sed etiam Clerici, sanam
octrinam non sustinentes, ad sua desideria coaceruarent sibi
lagistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum
iertentes, ad fabulas conuerterentur, repentè cœpit crebris ie-
mijs, flagellis, orationibus, se victimam pro ouibus offerre, &
)ei iram placaturus pro subditorum peccatis Altaria cumulare
otis, hostijsquè pacificis. Mox coacta synodo, Clerum refor-
nauit: nam, & zelans erat, nec deerat scientia, zeli modera-
rix; & quidem infirmus infirmis, & nihilòminùs potentibus po-
ens, superbis restitit, verberauit arrogantes, non minus plebis
nfimæ, quàm nobiliorum Magister; sanè ignis vrens in consu-
nendo criminum vepres, securis in deijciendo plātationes ma-
as, & in abolendo quaslibet in Clero, & populo deprehensas
nalignitates per Angelos malos; clamans, iniquis, nolite iniquè
gere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu, pietatem vbiq;
lantauit, vitium auulsit; quicquid enim indecorum, vel distor-
um obuiam habuit, non sustinuit oculus eius, sed velut grando
grossos è ficubus, & sicut ventus puluerem à facie terræ, sic co-
am facie sua, eiusmodi nisus est pro viribus exturbare à grege
suo; Ros verò vitalis irrigans, & fructificans, assiduis concioni-
bus pueros Christianæ vitæ legibus erudiuit, adultos ad pœni-
tentiam peccatorum, & vitæ sanctitatem animauit; ac viros cœno
pertinaciter immersos, extraxit. Ita enim eum concionari au-
dientes intrinsecùs vulnerabantur, vt inde plurimi repentè ad
Confessarij pedes admoti, anteactæ vitæ semitam deseruerint:
quos verò pertinaciores experiebatur, ascitos, carnem ipsam
flagellis coram eis obtundens, suo liuore sanari à Deo cum la-
chrymis, impetrabat.

Nec dignè quis posset exprimere, in quantis vexatus, quibus
contumelijs affectus, quibus lacessitus iniurijs, blasphematus
obsecraret, iniuriatus apponeret scutum patientiæ, vincens in
bono malum. Et quidni vicerit? cum perseueraret, pulsans,
obsecrans, arguens, increpans in omni patientia, & doctrina,
quousque aliquandò tandem pulsanti aperiretur, & sequeretur,
quod veritas pronunciauerat, secuturum; Cessit itaq; duritia, &
domus exasperans sensim leniri cœpit, paulatim correptionem
admi-

admisit, recepit disciplinam; itaut, qui iam populus Dei esse desierat, Dei populus esset, & ipse, qui iam appetebatur iniurijs, Pater, & Dominus ab omnibus coleretur, & passim S. Paulus, S. Ioannes Chrisostomus, Christi Apostolus, Diuinus intellectus, ac cereus Diuini amoris nuncuparetur.

Et meritò Diuini cereus amoris vocitari conueniebat eum, qui tanta in Deum charitate incendebatur, vt crebrò dicere soleret, sibi tolerabiliùs futurum, se in infernum præmitti, quàm non diligere Deum, & præ ignibus, & tormentis magis terreri, quòd, qui cruciantur in Inferno, Deum oderunt.

In proximum quoq; quoad temporalia, operosam charitatem æquauit, grauitate ætatis, & excellentiæ gradibus, iusta consideratione perpensis; pauper sibi, & pauperibus diues, hilaris dator, petitor rarus, verecundus acceptor, effudit animam ipsam esurienti, nec vnquàm inter loculos inclusit salutem inopum: sacrilegium intelligens, rem pauperum eis denegare, & fassus, gloriā Episcopi esse, pauperū opibus prouidere, studere proprijs diuitijs ignominiā, redarguebat auaritiam Clericorū, inquiens, quod si penès se vel obolum pauperibus non erogatum, post obitum comperiri contigisset, suum Cadauer Ecclesiastica sepultura indignum haberetur. Quare pingues Episcopalis mensæ reditus egenis distribuens, laceris induebatur vestibus, quas suis manibus resarciebat, nè si recentibus vteretur, pauperibus largiùs subueniendi, sibi facultatem adimeret: proprium cubile stratum asseribus, vel sarmentis adhibebat, nè noctes insomnes egenos ducere permitteret: ac tandem ventri subtrahens, vt esurienti escam pinguiùs præstaret: duas inter se contrarias affectiones, propriam scilicèt satietatem, & fratris famem, mirabili continentia temperabat.

Ob eiusmodi verò sublimis, & omnium præstantissimæ virtutis diuturnum exercitium, Thomas ita Diuina consuetudine frui promeruit, vt planè à sensibus abstraheretur, nec ministrum succurientem vestem, dum sacra conficiebat, aduerteret, imò semel eleuatus à terra duodecim horarum interuallo permanserit; Ac propterea à concionibus prorsus vacare, & à Diuinorum operatione palàm abstinere coactus est.

Ecclesiasticæ libertatis acerrimus vindex, Rectorum mundi

minis

inis nunquàm flecti potuit, quin illam pro munere non tuere-
ır; & semel expetitus à Canonicis Cathedralis, vt Collegam
l carceres laicales detrusum, sibi restitui mandaret, inquit,
è dubitetis fratres, etenim ipse magis gloriosam mortem, quàm
libilem vitam amplectar, & lubèns ad supplicia præibo; insti-
tquè subindè, sibi Præbendatum reddi, & Regios Ministros per-
naces adhuc anathemate plexit, Ecclesias interdicto subiecit:
rùm illi obstinatiores effecti, ingentem Thomæ vim animi, va-
s artibus frangere studuerunt; fracti tamen ipsi, Præbendato
carceribus liberè dimisso, publicæ pœnitentiæ subiecti sunt.

Erectis demum tribus Collegijs Compluti, Oriolæ, ac Valen-
e, in febrim incidit, & lecto decubuit, & populus Valentinus
ım illo omnis: febre autem inualescente cum prorsus desperá-
tur de vita illius, ab Episcopo Segriano eius Suffraganeo, pro-
: iam esse mortem in ianuis, audiuit. En homo securus in
orte, & nedum mortuus, iam certus de vita? exultauit vt Gi-
ıs ad currendam viam, eleuatis ad Cœlum oculis, inquiens,
etatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus,
mox iactando cogitatum suum in Domino, ait, *Domine, si ad-*
c, populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, sin minùs, cu-
dissolui, & esse tecum. Et pauperrima supellectili inter pau-
res familiares diuisa, quinque mille aureos, quos Oeconomus
miliæ necessarijs clam asseruabat, eiquè agenti animam pro-
lauerat, statim in egenos erogari iussit, & audito, quòd om-
ous pauperibus satiùs subuentum esset, verùm mille, & quin-
nti aurei restarent, turbatus addidit: *Cur hìc me detinetis ad-*
c, nè eam ad fruendum bono, quod mihi parauit Dominus? puto
m præsentem vitam protraher, vsquè dum sciam, nihil do-
superesse; Properate igitur, & opus absoluite, nè ipse diu-
s hìc in labore remorer, *sed tandem in pace Christi quiescam.*
ısmodi verò nummorum residuo pauperibus distributo, Deo
tias agens, ita affatus est; *Nunc lætus ad agonem propero, nu-*
cum nudo, nil habens vnde tenear, strenuè luctaturus. Voca-
est Clerus, adfuit, & ille oculos eleuans in eos, inquit, mei
mineritis, ego vestri (si licuerit) non obliuiscar: licebit, con-
). Credidi in Deum, et omnia possibilia sunt credenti, amaui
um, amaui vos, et Charitas nunquàm excidit. Mandata Do-

 mini

mini custodite, debitam sanctitatem tàm excelso ministerio seruate, & Apostolicæ Sedi obsequentes vos perpetuò profitemini; Mox vnctus est sacro Oleo, & sumpto Viatico,recordatus,quòd nihil in diuisione supellectilis cuidam pauperi Commentariensi tribuisset, illi, ad se vocato, cubile, in quo iacebat, elargitus est,eundem rogans, vt obliuionis pœnam ipsi remitteret, ab eoquè,renuentibus familiaribus ipsum humi super stoream prosternere, eiusdem cubilis vsum pro Dei amore flagitauit,vsquè dùm moreretur.

Demùm semel adhuc sub speciebus videre cupiens Deum Saluatorem suum,quem protinus facie ad faciem intueri posse, sperabat, innuit, vt in suo cubiculo sacrificium conficeretur, & interim sibi legi voluit Euangelium Passionis Domini, eoquè audito,& mira pietate, Augustissimo Sacramento, ad eleuationem adorato, præ gaudio vim lachrymarum profundens,recitauit psalmum: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace*: addiditquè versum: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, & hæc dicenti, die octaua Septembris, vesperi Natiuitatis Beatissimæ Virginis inter septimam, & octauam horam anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, ætatis suæ sexagesimo octauo, dedit Dominus seruo suo somnum;& ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Cumquè populus Valentinus, qui audita Parentis desperata salute, Dei misericordiam imploraturus, stationibus, & supplicationibus totus intentus erat, percepisset, se iam eo præsidio destitutum, quo diutiùs iuuari enixè poscebat, in gemitus, & suspiria se dedit: gemitus quidem vsu, non ratione laudabiles,cum pretiosa mors Sancti in conspectu Domini,gaudio,haud mœrore miscenda sit. Cadaueris verò aspectu in tàm ingenti iactura idem populus adeò se leuari posse putabat, vt illud Pontificalibus indumentis, & florea corona Virginitatis eius insigne,ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis de Succursu delatum,humo tradi abnuisset,nisi fratres eiusdem Monasterij sepulturæ horam occultassent; talis enim erat gratia Cadaueris, vt viuenti non dissimilis appareret, eadem viuacitate vultus, serenitate eadem, qualis esse solet in dormiente, adeòut mortem nil horum tulisse, magis auxisse plurimùm, putaretur.

Ac-

Accessere subindè veneratio, & assidua populi frequent a,non m ad eius sepulcrum, sed ad Cubiculum, in quo Compluti lijs vacans habitabat;etenim se mirabilem Deus, opem Tho- implorantibus, ostendebat.

Editis propterea processibus,tùm auctoritate Ordinaria, cùm ostolica in genere, & in specie, ijsquè discussis in Rota,& in ngregatione Sacrorum Rituum, decretum emanauit super iditate, & releuantia eorundem, nedum quoad famam, & brescentiam famæ sanctitatis, & venerationis, verùm etiam bad virtutes, quas in Thoma heroicè claruisse, eadem Con- gatio declarauit.

Siquidem ille fines rationis, vsum imbecillis naturæ,ac expe- ntiæ terminum transgressus,inualidam humanę mentis aciem, fidei virtutem,in æternitate fixit:ac intellectum, fidei merce- n fassus,nō intellexit,vt crederet,sed credidit, vt intelligeret, iedum credidit,sed iustus ex fide viuens,ad iustitiam operatus ambulans verò per fidem, ad spem peruenit,qua ad id, quod didit, se peruenturum certissimè confidit; & tantùm adhęre- Deo, ac ponere in eo spem suam, bonum esse arbitratus,fal- em hominum spem, fluxamquè seculi fortunam contempsit. Et per charitatem, qua flagrauit in Deum, proximi dilectio- n gignens, & per amorem proximi,Dei charitatem enutriens nibus omnia factus est, vt fideliuui animas Christo regenera- : optimèq; intelligens, panem esse famelici, quem tenuisset, li tunicam,quam in abdito conseruasset,discalceati calceum, em penès se marcescere pertulisset, egeni argentum, quod ssedisset, omnia dispersit, dedit pauperibus, & fidelis seruus, rudens, quem constituerat Dominus super familiam suam, laret illis in tempore tritici mensuram, non ibi bona reliquit, le exire debebat, sed illò præmisit, quò iturus erat, illic sub- itiam suam collocauit, vbi Patriam habebat, thesauros tan- in Cœlis constituens, in quos vnicè respiciebat. Ad cogno- idam verò prudentiam cor suum inclinauit Thomas; præsen- ordinauit, ac præteritorum non immemor futura præuidit: superbijt, nec vnquàm curauit de seculi rebus, vt potè ca- is; tanquàm aliena se habere, quæ possidebat, aduertit: & l præter rectum, et laudabile gessit.

Iustitiæ autem virtute prædıtus, nil sibi alienum vindicauit, sed cuiq; Ius suum tribuens, propriam neglexit vtilitatem, vt communem seruaret æquitatem: quò demùm in iustitia appareret in conspectu Domini.

Fortitudine animi quidem insignis, vtpotè perfectè sciens quid tolerandum, quiduè non perferendum sit, aliena mala fortiter tolerans, aduersùs omnia vitia inexpiabili prælio decertauit, ac iniurijs affectus, contumeliam non doluit, sed lapsum lædentis ingemuit: prosperis non eleuatus, tristibus nunquàm mersus.

Ac tandem virtute temperantiæ non impar, dum vita eius corporis artus vegetauit, fuit castus, sobrius, & quietus, quoscunquè appetitus, & naturales motus, virtute reprimens, atquè sedans.

Ex quarum omnium virtutum cumulo Spiritus Sancti dona satiùs deducuntur, quæ sanè cum illis indissolubili nexu socientur. Quamobrem eorumdem probationis narratione pretermissa, ad alios causæ progressus procedam.

Successiuè Congregatio censuit, constare de miraculis, & propterea, declarato quòd posset ad Beatificationem deueniri, Paulus Quintus decreto Congregationis annuens litteris datis decimo octauo Calendas Octobris, anno millesimo sexcentesimo decimo octauo, Thomam vti Beatum coli posse concessit; mox alijs miraculis in eadem Congregatione discussis, & approbatis, firmatum fuit octauo idus Decembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, tutò posse ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem procedi.

Denique in executionem decretorum Sanctissimæ Inquisitionis, duobus alijs miraculis post Beatificationem peractis, nuper per Sanctitatem Vestram approbatis, communi iudicio, & vno ore, ad Canonizationem Beati Thomæ tutò posse deueniri, repetitum fuit; eò quòd plurimum expedire visum sit, vt is fidelibus celebrandus proponatur, quem si imitari non pigeat, id quidem non nisi cum ingenti cuiusuis conditionis hominum vtilitate fiet, vtpotè Beatus Thomas, puer, laicus, Regularis, Sacerdos, Præsul, innocentia æquè seruata, charitatis exercitium nunquàm prætermiserit.

Nè

Tè verò miraculorum narrationem prorsus prætercam, à bre-
ite minimè discessurus, ea tantùm percurram.

Dum inter viuos Thomas degeret: Cum semel horreum Epi-
pale tritico penitus exhaustum, Ministri scopis mundassent,
perato subinde per Thomam, vt pauperi fœminæ subsidium
menti daretur, horreum adeò plenum tritico inuentum est,
grana è ianuæ rimis redundarent, eaquè vi frumenti compres-
vix posset obserari.

Quendam egenum Cæsaraugustanum quadraginta quinque
norum paralysis morbo contractum, & pedum officio prorsus
stitutum, signo Sanctissimæ Crucis super eum producto, Tho-
ıs momento sanauit.

Post mortem verò. Paulus Franciscus Cardona septem men-
m labore febris consumptus, ac tandem extinctus, Thomæ
xilio per Genitricem implorato, in vitam reuocatus est.

Sperantia Valeria febri decem mensium vexata, ac vita fun-
, Thomæ intercessione reuixit.

Francisca Nadal læthali carcinomatis morbo, ad extremum
:æ perducta, semel, nec frustra, Thomæ ope efflagitata, pristinæ
nitati restituta est.

Catharina Vincentia insanabili plagarum morbo quinquen-
o affecta, dum exhaustis viribus iam posita esset in extremis, ad
homæ patrocinium confugit, & perfectam sanitatem recepit.

Marcella Lizania triennis ophtalmiæ morbo diù excruciata,
Medicis tandem derelicta, dum pro salute illius, sacrum in Al-
ri Beati Thomæ conficeretur, repentè lucem ita perfectè recu-
:rauit, vt Solem sinè læsione aspiceret.

Petrus Antonius Sutor pedibus adeò impeditus, vt nequè ful-
mentis innixus incedere posset, Thomæ se deuouit, & incessum
berum obtinuit.

Iacobus Ceruera incurabilium vlcerum dolore quatuordecim
m annorum spatio vexatus, & humanis remedijs iuuari posse
ffisus, Thomæ præsidium expostulauit; & sanus euasit.

Vincentius Cyprer forti paralysi correptus, Thoma exorato,
pentè breui somno sopitus, & experrectus, se prorsus immu-
em à morbo reperit.

Catharina Montalta lactis defectu cruciata, eò quòd ob rei
fa-

familiaris inopiam, infantem alteri lactandum tradere non posset, admotis ad vbera flosculis, quibus Thomæ Sepulchrum respersum erat, in instanti, lacte adeò fœcunda euasit, vt illud è papillis præ copia difflueret.

Ludouicus Lemosy Chirurgus à podagræ morbo, quo sex annorum spatio laborauerat, sola Thomæ intercessione sanatus, eò preseruatus est, vt nunquā exindè, vel minimam recidiuā passus sit.

Ioannes Alapont buccini pulsator in morbo deformis herniæ, vigintiquatuor annorum curriculo, confirmatus, dum ferè ageret animam, auxilium Beati Thomæ implorauit, & dicto citiùs, recessit ab eò morbus, & omnis pariter ægritudo.

Vincentia Mattheù ex imo putei tres ferè post horas vnco exanimis educta, exorato per Parentem Beati Thomæ præsidio, vires, ac spiritum reassumpsit.

Et hæc sunt, Beatissime Pater, nonnulla ex innumeris fermè signis, quæ testes attulerunt, à Congregatione Sacrorum Rituum discussa, & præter hæsitationem approbata, clariora scilicèt, quæ Deus edidit argumenta, tùm in vita, cùm post mortem Beati Thomæ, vt eiusdem Serui sui amicitiæ Sacramentum nobis aperiret, cum satiùs merita benedicentis miracula declarent. Quamuis non mirum, quòd mira operatus sit Thomas mirabilis ipse: immò non ipse, sed in ipso Deus, qui facit mirabilia magna solus, mirabilis in Sanctis suis. Et hinc præuia discussione, & approbatione virtutum in gradu heroico, sanctitatis Thomæ argumentum hausit eadem Congregatio, imò veriùs Sanctitas Vestra, quæ nouissimè iussit, isthæc ipse in Augustissimo Senatu referrem: idem enixè poscentibus Philippo Quarto Hispaniarum Rege Catholico, Regnis, Præsulibus, Vniuersitatibus, Academijs, & Proceribus totius Hispanicæ ditionis, necnon vniuerso Ordine Eremitarum S. Augustini. . Dixi.

Prædicta relatione absoluta, Sanctissimus sub his verbis Cardinalium sententias exquisiuit.

Audistis venerabiles fratres quæ Beati Thomæ de Villanoua Archiepiscopi Valentini præcellunt, et merita virtutum, & miraculorum insignia. Placet nè vobis, vt ad eiusdem Beati Canonizationem procedatur? Tunc

unc singuli Cardinales, verbo tantùm, Placet, vnanimi vo-
>probarunt sensum procedendi ad solemnem B. Thomæ Ca-
izationem. mox in eodem Consistorio fuerunt è more præ-
izatæ, & propositæ Ecclesiarum prouisiones.
tatimae absolutum fuit Consistorium prædictum, Typogra-
Camerali curam imprimendi Relationem præfatam deman-
i, quam impressam à Procuratore Generali Ordinis Sancti
gustini singulis Cardinalibus, & Episcopis, in Vrbe degenti-
distribui curaui, vt ex illa ijdem merita Canonizandi per-
:ré, & Sententias in Consistorio semipublico proferendas
denti iudicio desuper firmare, easque in scriptis redigere
sent.
'eria secunda die 9. Septembris Cæremoniarum Magistri, ius-
ummi Pontificis, consignarunt Cursoribus schedulam Inti-
ionis Consistorij publici:
'eria quinta die 12. eiusdem celebratum fuit huiusmodi Con-
rium publicum in Aula Regia Quirinali. Sanctissimus, præ-
ıtibus Cruce, & Cardinalibus, sede vectus, ad Aulam prædi-
n è Cubiculo Paramentorum vulgò nuncupato, perrexit, in-
us Pluuiali rubeo, Phrygio opere elaborato, & mitra redimi-
. Ascendit solium, sedit, & excepit illicò Cardinales cappa
lacea amictos ad obedientiam; mox Ego Diaconis Assisten-
us innui, vt ad sedile Diaconorum se reciperent, & confidenti-
; omnibus, facultate à Sanctissimo obtenta, Consistoriali Ad-
:ato Domino Marco Antonio Buratto imperaui, vt Relatio-
n inciperet, quam his verbis idem absoluit.

In Terris humana mens B. P. Cœlo oriunda intra capitis no-
claustra carcerem sortita est. Ita impiè, nè capite damna-
captiuitatem suam, sibi non tàm miserabilem, quàm mirabilē
a sentit. Ad solatium enim carceris in ipso carcere portenta
:rare quotidiè iubetur administra numinis natura, quæ dum
inculis abducere nobilem captiuam, eamque per vniuersas
ındi plagas deducere non posset, excogitauit, quomodo indu-
et, inferretque Mundum ipsum in carcerem; vt ad fallendas
otiuitatis horas, præsto esset Mundus planè solatiorum. Per
ellicium sensuum rerum omniū imagines accersitæ adesse iu-
ben-

bentur. Satis felix foret humanæ mentis infelicitas, nisi etiam ingruentium cupiditatum assultus vrgeret. Et verò, quid homini miserius, cum eius mentem affectuum tumultus exercet, & irrequieto permiscet ambitu.. Video ex illa fronte centum erumpere curas, mille simul diffluere lineas, rapit honorum fumus, gloria militiæ, questus mercaturæ, & si Deo placet, etiam Triũphus Capitolij, & dum sibi vnum spectat, vnum intendit, sexcenta vellet, & qui ibi inhærere videbatur immobilis, idem, & ibi, & alibi, et nullibi, et vbique, peruagatur. Modò libens recedit à placito, modò inuitus contendit in vetitum, perinde, ac si velit, quod nolit, probet, quod improbet, In dubio fluctus, in pertinacia scopulus, perculsus metu futuri mali miser est, ante miseriam: Elatus fastu, auras, et ventos captat, non intelligens quantùm expediat homini fugere ventum, qui puluis est. Si curiosus, omnium satagens, si deses, omnia negligens, sibiquè inconstans, semper sua volubilitate rapitur.

Accedit ad miraculum, et humanæ sortis limites nimium excedit, nec intra mortalis est conditionis aleam, si quando homo huiusmodi in lutea, qua promitur materie constitutus, in tam misera pereuntium conditione, in tam lubrico mortalitatis pondere, se se sarctum; tectumquè seruat, et in publica comilitonum strage, aut fuga adhuc pugnare obsistit vestigio hærens suo, Coclite maior, in ponte ingruentes sensuum furias, compescit solus.

Ad miraculum accedit, et prodigij genus est, non minus rarum terris, quam gratum Cœlo, nulla vnquam obliuione delendum, nulla vnquam celebritate fraudandum. In hoc Theatrum affero Thomam. Hic est, quem in præsenti Sanctitati Vestræ proponere, ex mei muneris officio, debeo. Is nunquam sui dissimilis, adeò constanter eundem vitæ seruauit tenorem, vt eũ qui semel viderit, eundem viderit semper. Eædem in viro hoc constantissimo, penè dixerim supra omnes, propositi sui tenacissimo, eædem inquam virtutes adeò floruerunt, vt nulla sensuum illecebræ, nulla animi perturbatio, à recta virtutum semita deflectere coegerint, eò contendentem constantissimè, quò diuinum vocabat beneplacitum, Scilicet: In lege Domini voluntas eius.

Hispania Sanctimoniæ ferax, magnorumquè virorum fœcundis-

ma parens Thomæ dedit cunabula in oppido fontis pla-
Toletanæ Diœcesis anno supra millesimum quadringentesi-
, octogesimo septimo, genitoresque sortitus est Alphonsum
Villanoua, Luciamque Martinez Castellana, ambos meritis
tatis insignes, quorum summa religio, vel ex eo summopere
nmendatur, quod fidei Catholicæ studiosissimi, suam domum
quisitoribus in ea Prouincia S. Officij certum, perpetuumque
spitium esse voluerint. Puer nil puerile præseferebat, præter
ocentiam, & nomen. Non ille (vt pueris mos est) aut flecti
lis, aut pertinax. Non rogitando impudens, non oblectan-
contumax. Alacer quò virtus vocasset, quò ludus, & volup-
immobilis. Parentibus obsequentissimus morem gerebat, quo-
n, præceptorumque dicta, veluti voces è Cœlo delapsas reue-
itissimè excipiebat, quorumque iussa, non tàm exhaurire, quàm
euertere satagens, totus ab eorum nutu pendebat, maximè
ibescens, si quando ipsorum forsan non præuenisset imperia.
Ipsius propensæ in pauperes voluntatis primæ significationes
runt, in tenera adhuc ætate, quæ alimenta perpetuò auidissi-
appetit, refectiunculam sibi, gymnasium petenti, dari con-
tam, propriæ necessitati denegare, vt eo cibo pauperculos re-
illaret, sibique etiam indumenta detrahere, quibus aliorum
geret nuditatem: & si quando mater è domo discedens, soli-
m pro egenis stipem, quam quotidiè dabat, non præparasset,
uia quæque alacri manu eis porrigere, ne de sua spe frustrati
irent, & si præter eos alij superuenissent, sui etiam prandij
rtionem libentissimè, elargiri. Quod cum ea conditione per
fieri à matre impetraret, vt ea die abstineret à prandio, pactis
igiosissimè staret impransus omnino abiens.

Hæc, vt alia plurima taceã, quæ singillatim recensere nimium
et, nascentis huius lucidissimi Solis primi albores fuerunt, ad-
rabilis futuræ eius lucis indices, ac prænuntij.

In ipso adolescentiæ flore, non solum vis naturę vincere eum
n potuit: sed nec etiam in minimo flectere, cum maturis mo-
ous lubricam frænans ætatem, inter blandientium vitiorum il-
cebras, pudicitiæ candorem illibatum seruans, carnemque
uctantem, inedia, flagellis, catenisque in seruitutem redigens,
st periculosissimum illud certamen victor euaserit, & in signum

intactæ integritatis ad Sepulcrum, florea redimitus corona, quasi triumphans elatus fuerit.

Vix quarto lustro expleto S. Ildephonsi Collegium, in Academia Complutensi, petijt, vbi non tam præstantissimi ingenij felicitate, quam assiduitate, labore, & constantia, quid quid bene loquendi artes castigant, quid humaniores expoliunt, quid facundiores illustrant, exhausit.

Nec passus angustis hisce finibus se teneri, vastam Phylosophiæ, ac Theologiæ amplitudinem emensus, mirum quam ingenti omnium scientiarum studio animum locupletarit, quam diues euaserit. Euasit inquam? neque enim dum interiores illos naturæ recessus perscrutatur, ab intimo Cœli aciem amouit, feriarum otia, quæ sodales oblectamentis addixerant, turbulenti semper, & non rarò temulenti, ipse Deo taciturnus ante Crucifixi Imaginem, necnon in carnis castigationibus sacrauit.

Patre orbatus, vt suæ charitati erga pauperes incrementum daret, Euangelici dicti memor: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, rogauit matrem, & obtento eius assensu, paternam domum, vna cum reliquo patrimonio, nobilibus alendis fœminis addixit, atque ita bonis, voluntaria abdicatione relictis, de superis tantumodò cogitans, cœlestem in terris vitam acturus, in ipso ætatis magis vigentis flore, renunciare sæculo, generosè deliberauit, seque in arctissima Eremitarum S. Augustini religione Sodalitij Salmantini inclusit. Vbi ea moderationis, atque obseruantiæ præstantia enituit, qua alijs regendis, exemploque firmandis à suo præceptore præpositus videretur. Religionem solemniter professus, rarus erat in atrio, multus in Templo, totus in precibus, in sacris euoluendis paginis non assiduus modo, sed perpetuus, vt Deo magistro disceret, quid agendum esset, dum fixum illi erat, non nisi agere, quod Deus iuberet: Omnes Regularis disciplinæ gradus mirabili celeritate emensus, vt vix biennio elapso Conuentus Salmantini Prior renunciaretur. Decebat enim religiosa perfectione cæteros antecedentem, cæteris etiam dignitate præesse. Prioris dein Burgensis Sancti Augustini, Visitatoris Prouinciarum Castellæ, ac Bethicæ, Prouincialis, ac Definitoris pariter Castellæ, Priorisque Vallisoletani munia inter omnium plausus obiuit. Regula-

rium

scilicet dignitates non substinuit, sed illustrauit. Quibus in
eribus solicitudine, assiduitate, ac vigilantia nunquam de-
s in numerum totius insuper ordinis Reformatorum ascribi
iit.
erùm ex illis claustris fama sanctitatis Thomæ erumpens, ad
s Caroli V. Imperatoris, atque eius filij Philippi Regis Ca-
lici delata pijssimi illi æquè, ac Potentissimi Principes, è re
istiana fore censentes, illud præclarissimum lumen, non sub
is Cœnobij modio latère, sed supra candelabrum positum to-
cclesiæ lucère, illum ad Archiepiscopatum Granatæ tunc tem-
s vacantem Pontifici præsentarunt. Quem tamen honorem,
io ab omni mundano fastu penitus alienus, quandiu potuit
stantissimè recusauit: à quo proposito nunquam etiam reces-
t, ni eius Superiorum auctoritate intercedente, obedire
ctus fuisset. Eis siquidem in vim sanctæ obedientiæ, censura-
ique insuper comminationibus seuerè præcipientibus, cum
humiliter obtemperare, contra votum à se emissum esse exi-
aret, se humiliter Diuinæ vocationi subiecit.
'erùm cum eodem tempore Ecclesia Valentina, ob diutinam
oris orbitatem, celerem reparationem exigeret, nec meliùs
Cleri, plebisque necessitati consuli posse videretur, quàm
ostolicis Thomę virtutibus, illum, Granatensi sede prætetita,
'alentinam mittendum potius esse censuerunt, vbi vtiliorem
operam nauare potuisset.
piscopale ministerium à requirendo, quod perierat auspica-
, incredibili solicitudine, quidquid infirmum erat consoli-
it, quod ægrotum sanauit, quod confractum alligauit, quod
ctum reduxit. Quid enim vnquam pro suo pastorali munere
termisit? Quid non præstitit, quod vigilantem pastorem
rget?
xactissima Sanctionum Ecclesiasticarum obseruantia, cleri-
m disciplinam restituit. Diuinis laudibus ad singulas horas
sens; Deo frequentiam reddidit; impollutæ vitæ exemplo
lesiam, honestatemque reparauit, seque omnibus præ-
e; perditos, deuiosque ad rectam tandem facile reuo-
t.
ius studium erat, inimicos conciliare, dissidentes compone-

H 2 re,

re, scandala resecare, pupillis, orphanis, viduis, calamitosis, & cuicumque miserabili subuenire, suoque patrocinio tueri. Pauperes siquidem omnes, vt carissimos filios in visceribus habebat.

Ecclesias, temporis iniuria dirutas, restaurando, Diuino honori consulebat: ac cerimusq; Ecclesiasticę dignitatis, atq; immunitatis vindex, rebus, personisq; sacris omnium reuerentiam obstrinxit, ea in violatores seueritate animaduertendo, vt vellet eos præ foribus etiam Ecclesiæ publicam pœnitentiam agere, & demum vt breuiter multa perstringam, ipse factus forma gregis, inculpatæ vitæ normam diuini prædicatione verbi præscripsit, potens in opere, & sermone cunctorum rexit affectus, actusque direxit. Singulorum correxit excessus, honestauit mores, vitamque composuit.

Ex quibus licèt pateat, qui nam in Thoma omnium virtutum consensus esset, tamen de heroicis, Christianisque potissimum, quibus eis temporibus solus sine ęmulo claruit, pauca subtexam.

De viua, atque ardentissima eius fide, tot præcones habemus, quot opera ipse fecit. Sicut enim in fide est operum ratio, ita ex operibus suæ fidei fortitudinem probauit, palàm omnibus, ac Philippo potissimùm Rege Catholico audientibus hæc verba (de ineffabili Trinitatis mysterio loquens) pronunciauit. Dicam filij tametsi vobis non à temeritate distare forsan videbor. Fides tua Domine in Sanctis tuis, qui in huiusmodi testimoniorum scrutinio versantur, vix fides est, quando iā de fide in clarissimam lucem transierit, cui firmissimo innixus fundamento addebat. Tolerabiliùs sibi forè in infernum præmitti, quàm Deum vnquàm obliuisci, cuius sibi fides certissima erat.

Paupertatem quam Christus sua æstimatione pretiosam fecit, velut proprium Ecclesiasticorū patrimonium adamauit. Non oblitus Christum suis discipulis prohibuisse, ne duas tunicas haberent, vna contentus fuit, quam ex veteri scapulario proprijs manibus non tam consuerat, quam contexuerat. Storeę eius cubiculi ornamenta erant in lectulo vili, atque abiecto, & super sarmenta etiā tantillū capiebat quietis: frugalis illi mensa fuit ad solam tantummodo refectionem, de qua, quid superesset pauperibus dari iubebat. Non peram, non loculos habebat, sed pecuniam,

vt

ro se orarent, in sinu pauperum recondebat.
emet hominem noscens profundissima humilitate sibi ipsi vi-
ebat, de magisterio Christi, qui solam humilitatem docue-,
superbiam non addisci dicebat. Qua in scola eruditus se-
ipsum contemnens obtrectationes, & ludibria, nihil facie-
. Contumelias, & iniurias non dimittebat solum, sed ex eis
debat, quibus ærumnas, patienter ferendo, præpararentur, ab
nique fastu abhorrens, Archiepiscopus renunciatus, è mona-
io ad Ecclesiam pedester vno socio comitatus in habitu mo-
hali perrexit. Germanumque fratrem summopere ornatum
se illuc venientem, non agnoscere simulauit, quem postea
nestiori habitu indutum, vti fratrem excepit, solisque quin-
aginta nummis donatum dimisit. Quare non mirùm si pro-
ndissimæ humilitatis fundamento innixus se vsque ad Cœlum
sublimitate extulerit.

De prodigiosa Thomæ charitate verba non facerem, nè cre-
rer forsan magis mira, quam vera narrare, nisi ea è publicis,
obatissimisque documentis desumpsissem.

Ardentissimæ charitatis feruore totus in Deo, & Deus in illo
itinō tam Episcopus animarum, quam Pater pauperum, omnes
æ Diœcesis exurientes repleuit bonis: Eos vti sacri patrimonij
ominos habebat, se verò, vt bonum patrem familias pro di-
ensatore solum gerebat. Vt Ecclesiasticas opes fideliter distri-
ieret, egenorum Catalogum conscripserat, & penes se retinen-
), inter eos integrum censum ea seueritate diuidebat, vt quan-
oque ei etiam necessaria deessent. Et si Episcopalis mensa ad
nnes substentandos forsitan non sufficeret: exigua supellectili,
sa veste supplebat, quam vnicam habebat. Qua in dispensatio-
non respiciens carnem, & sanguinem, matrem ipsam repulit,
o duobus consanguineis flagitantem: dicens, ea pauperum
se; licèt obsequij filia lis non immemor, quinquaginta solos
ummos vtrique donans, ne pauperes fraudaret, dimidium è
onsueta mensæ portione detraxit. Suæ Diœcesis captiuos à
Maurorum seruitute proprijs sumptibus redemit.

In alendis proiectis, ingentem aureorum summam impende-
at.

In adolescentes piè, ac liberaliter educandos magnos pro-
uentus

uentus attribuit. Collegijs Valentino, Oriolensi, ac Salmanticino, è quibus successiuis temporibus, non pauci doctrina, ac sanctitate illustres prodierunt, quemadmodum, & nubilibus puellis pro eorum egestate, & conditione largè subueniebat, & nobilibus etiam quingentorum aureorum dotem (ex illorum temporum consuetudine amplissimam) assignauit. Ita vt dici possit nullum hominum genus in ea Prouincia fuisse, quod sua largitate, ac beneficentia ab indigentia non liberauerit. Quo misericordiæ opere, eos etiam à peccatis eripuit, cùm nullum sit scelus, ad quod necessitas, & inedia non impellant.

Et quia efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur, non mirum si Thoma pro indigentibus flagitante, vacua ipsius horrea, in quibus, ne quidem granum frumenti remanserat, ita momento temporis exuberarint, vt nec etiam præ nimia affluentia fores aperiri possent. Miraculum certe grande, quod omnium forsan miraculorum admirationem superat, cum non vt olim in solitudine panes ex panibus multiplicauerit, sed ex nihilo noua frumenta creauerit? Et quid etiam maius cum ad cumulum voluerit Thomæ eleemosynis miraculosam vim inesse, vt patuit, cum quædam miserabilis quadraginta annorum paralysi afflicta, vna cum stipe ab eo integram sanitatem recepit.

Eadem charitate exæstuans, se pro eis holocaustum offerebat, quos obsecrando, & arguendo corrigere non potuisset. Eis enim præsentibus se vsque ad sanguinem flagellando, semetque cum lachrymis increpando, cuius peccatis factũ fuisse dicebat, si non resipuissent, sic compungebat, vt non pænitere, & non ad meliorem frugem redire non possent. Sacerdotem eius monita spernentem non minis terrendo, sed solis blandissimis verbis rogando, ad rectam semitam reuocauit.

Canonicum suæ Cathedralis Romam mittendum ad se vocauit, ac in proprio cubiculo semestri detentum pœnitentiæ auocauit.

Michael Vincentes concubinatus fœdatus crimine, ad Concubinam demittendã adactus, quam Thomas inter pœnitentes mulieres in Monasterio clauserat, per fenestram è Cœnobio nimis audax extraxit. Sed cum tametsi Ecclesiasticæ immunitatis indignum,

dignum, non minis non carceribus terruit, sed sola tantùm clementia, emendatum exemplar in posterum omnibus præbuit.

In mentis eleuatione nimis assiduus, à concionibus alijsque sacris functionibus se abstinere cogebatur. Inter quæ illud præteriri non potest, Quod die Ascensionis Dominicæ Officium Diuinum psallendo ad anthiphonam Nonæ, quæ dicit, *Et videntibus illis eleuatus est*, ipse quoque eleuatus per duodecim horarum spatium, omnibus videntibus, immobilis mirabiliter permansit.

Solatia è calamitatibus emergunt, cum Cœli præmia augentur. Cum in febrim incidisset Episcopo Segriano, desperatam eius salutem nuncianti, gratias egit, & miro cum iubilo dixit. *Letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi in Domum Domini ibimus*, addendo, si adhuc Populo tuo sum necessarius non recuso laborem, sin minus, cupio dissolui, & esse tecum.

Hic verò illud suæ paupertatis testimoniū prætereundum mihi non est. Quod peculio domestico iam diu consumpto, quæ paupertimæ supellectilis extabāt, inter pauperes familiares partitus est. Oblitus cuiusdam Commentariensis patris familias, cubile, in quo ægrotans iacebat, cum nil aliud ipsi superesset, ei donauit, & vt tunc quod suum erat auferret, innuit. At renuentibus adstantibus, id agi non posse, nisi eius celerioris vitæ periculo asserentibus, Thomas mira humilitate pro visceribus Christi vsum cubilis vsque ad mortem à Commentariensi postulauit.

Per Oeconomum quinque milliū aureorū summam propalatam (haud oblitus, sacras opes esse alimenta paupertatis, non oblectamenta superbiæ) pauperibus distribui mandauit, at ei relato omnibus pauperibus Ciuitatis abundè subuentum esse, & adhuc mille, & quingentos aureos superesse, memor, Cœlum quoque esse venale, si pia liberalitas proxeneta fiat, eos itidem illis dari iussit. Iamque omni, quod mortale saperet exutus, quibuscumque terrenis expoliatus, cum se iam proximum Cœlo videret, ad immortalitatis præmia properans, dixit. Cur me hic detinetis adhuc, nè ad gaudendum bono, quod mihi parauit Dominus, euolem? Properate igitur, & opus absoluite, ne ipse hic diutius in labore anxius viuam, sed tandē in pace quiescam. Et Deo gratias agens addidit: Nunc lætus ad agonem propero, & iussit

sit se sacro oleo muniri, Cleroque vocato vitæ sanctimoniam, perpetuamque erga Sedem Apostolicam obedientiam ex testamento legauit. Sacrum post hæc audiuit, & in Eleuatione Venerabile Sacramentum mira deuotione, ac humilitate adorauit. Denique lachrymarũ vim profundens recitauit Psalmum: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*: eoque absoluto subdidit, *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*, & hæc dicens, vt perpetuò in Cœlis fulgeret, extinctus est die octaua mensis Septembris MDLV. inter septimam, & octauam horam.

Sed Deus magnalia, & mirabilia faciens, aliorum quoque testimonio post obitum sui Serui merita declarauit, quorum pauca hic attexam, ne singula recensendo, dies deficiat:

Duos mortuos ad vitam reuocauit: Paulum Franciscum Cardonam post septem mensium febrim extintum: Sperantiam Valeriam decem itidem mensibus febre consumptam non solum ad vitam, sed integræ etiam sanitati restituit.

Ophtalmia, vsque ad cæcitatem afflictam Marcellam de Lizania nullis humanis adhibitis remedijs, eo intercedente luci restituit.

A' carcinomate Franciscam Nadal liberauit, & Catharinæ Vincentiæ Rosellon innumerabilibus plagis per quinque annos cruciatæ, insperatam salutem attulit.

Petrum Antonium Sutorem ex neruorum contractione per biennium claudicantem, iam inutilem, sanauit.

Iacobus Ceruera Cæmentarius, vlceribus insanabilibus plenus, ab eo reintegratur.

Vincentius Ciprer neruis ex paralisi solutis, sanitatem impetrauit.

Arida vbera Catharinæ Montaltę ad infantulum sustentandum lacte illico affluere fecit.

Ludouico Lemosy sic per sex annos pedibus laborantem, vt semel, & bis in mense, & quandoque etiam perpetuò cubili immobiliter inhæreret, bases, & plantas consolidauit.

Quatuordecim annorum hernia Ioannem Tubicinem afflictum pristinæ saluti restituit.

Septennem Puellam Vincentiam Mattheu in puteum delapsam ex aquis per tres horas submersam, eripuit incolumem.

In-

In quibus supra naturæ vires sanationibus, cum digitus Dei manifestè appareat, ad preces, tum ipsius Philippi Tertij Regis Catholici, tum Regnorum, Vniuersitatum Hispaniarum, totiusque Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Populorumque omnium, processus, tam in genere, quàm in specie formatus fuit, & legitimis præcedentibus probationibus, primùm discussis in Rota, & Sacrorũ Rituum Congregatione: Paulus V. gloriosæ memoriæ de voto eiusdem Congregationis Thomam, vti Beatum colendum esse, ad eiusque Canonizationem ritè, ac rectè deueniri posse declarauit. Verùm, quia superuenientibus decretis Vrbani Octaui fœlicis recordationis, fuerunt compilati processus, quibus coram S. V. discussis declaratum fuit, constare de supercrescentia famæ: Postremò per eãdem Sac. Rituum Congregationem sancitum fuit, posse quandocumque deueniri ad Solemnem Canonizationem. Pro quã Rex Hispaniarum Catholicus Regnans, Regnorum Vniuersitates, & Totus Eremitarum Sancti Augustini Ordo humiliter apud S.V. instant.

Successiuè Reuerendissimus Dominus Franciscus Nerlius Archiepiscopus Florentinus, Cappa indutus, Breuium Principum à secretis, stans in sinistro solij latere in hæc verba respondit.

Quòd Sanctorum honores, & solemnia Sacra Beato Thomæ à Villanoua ex Augustiniana professione Archiepiscopo Valentino petantur, Sanctiss. D.N. libentèr audit, & Religiosarum precum pietatem, animi Paterni cura, & beneuolentia complectitur. In quo sanè Pontificiam mentem subit, Christianæ Reipublicæ, si vnquàm aliàs, vèl hoc maxime tempore, Procerum Cælestis Hierusalem, & Domesticorum Dei salutari patrocinio, ac tutela opus esse, quæ misericordiarum Patre demùm exorato, tamdiù expetitæ Pacis tranquillitatem reducat, ac turbinum tot procellas, quà prementes, quà imminentes, auertat. Tantus autem tàmquè probatus Altissimo Sacerdos ea prorsus eximiarum virtutum, & rerum miraculosè gestarum gloria excellit, vt planè videri possit. *Scriptus in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patrum ad filios, cor filiorum ad Patres, & restituere Tribus Iacob.* Eccl. c. 48. Mal. c. 4. Porrò autèm admirabilem Virum vniuersæ quidem præcellentis Sanctimoniæ laudes insignitèr exornant,

ſed vna veluti iure ſuo totum ſibi vindicat, incomparabilis,& inexhauſta erga Chriſti Pauperes liberalitas; vnde præclarum illi Cognomen Eleemoſynarij; adeò vt Paſtoralis Caritatis ſtudijs vehementèr inflammandis, egregium, nec à longinquis ſæculis petitum exemplar, Sacris omnibus Præſulibus ad imitandum proponi poſſit. Cum igitur huiuſcemodi tàm pia, iamquè publica quoquè fidelium vota ad maiorem D. O. M. gloriam, & Eccleſiæ totius decus, & vtilitatem tantoperè pertinere videantur, eſt ſanè cur merito glorietur ampla Sanctorum Virorum prole felix Hiſpania; cur Epiſcopalis ordo verè gaudeat, & ſublimis inſtituti ſui Chariſmata meliora etiàm in huius penè temporis hominibus agnoſcat, & æmuletur; Eſt quod Auguſtini Magni familia tanto ſibi placeat Alumno, & illuſtrioribus Obſeruantiæ Religioſæ exemplis identidèm admonita, & ornata perfruatur; Vniuerſus autèm Chriſtianus Orbis exitioſis cladibus, quæ iàm per tot annos eum miſerè dilacerant,atque conficiunt,finem aliquem ſperet, nouis, ac validis Cœlitum præſidijs auctus, & vel tantarum celebritate, & admiratione virtutum ad exuendum cum actibus ſuis veterem hominem, & vltricis Iuſtitiæ Dexteram exarmandam prouocatus, & inſtructus. Sed quoniam ratio, & Sanctæ huius Eccleſiæ mos exigit, vt etiàm poſt iuratos Teſtes auditos, & acta omnia ritè, ordinequè confecta, non ſine Iuſtorum Orationibus, & Cæleſtis Oraculi illuſtratione præuia, tanta res tranſigi debeat; Sanctitas Sua omnes hortatur, vt Ieiunijs, Eleemoſynis, & accuratis precibus piè, ac ſedulò incumbant, quò Diuina voluntas, prælucente Spiritus Sancti lumine, dilucidiùs adhùc reueletur. Ipſa verò Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium ſententias exquiret, tùm Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos in Vrbe exiſtentes audire quoque volet. In hanc ſententiam reſpondere me iuſſit S. D. N. elegantiſſimæ Orationi modo habitæ.

Tandem Seniores Diaconi Cardinales ad Pontificem redierunt, qui è ſolio deſcendit, & ſedem geſtatoriam rurſus conſcendit, eaquè delatus eſt ad Cubiculum (Paramentorum vulgò nuncupatum) eo ordine, quo ad Conſiſtorium acceſſerat: Sacris verò indumentis exutus, ad Cubicula ſecreta ſe recepit.

Poſt

Post Vesperas eiusdem diei Mandatarij Eminentiss. D. Cardinalis Vicarij affixerunt in Valuis Ecclesiarum Vrbis, necnon in publicis Ciuitatis eiusdem locis, Edictum Italo idiomate, tenoris, vt sequitur, Typis impressum.

Indulgenza Plenaria

Martius miseratione Diuina Episcopus Albanen. S.R.E. Cardinalis Ginettus, Sanctiss. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, eiusque districtus Iudex ordinarius &c.

LA Santità di Nostro Signore Papa Alessandro VII. concede Indulgenza plenaria, e remissione de' peccati à tutti i fedeli Christiani dell'vno, e l'altro sesso, i quali digiunaranno Mercordì, Venerdì, e Sabbato prossimi, e confessati, e communicati visitaranno vna delle infrascritte Basiliche, mentre vi sarà esposto il Santissimo, e la Chiesa di Sant' Agostino in vn giorno della prossima settimana, e deuotamente pregheranno la Diuina Maestà, che ispiri Sua Beatitudine; e le assista nella graue deliberatione della Canonizatione del Beato Tomasso di Villanoua Arciuescouo di Valenza dell'Ordine di Sant' Agostino.

Il Santissimo sarà esposto.

Nella Basilica di S. Gio. Laterano, Domenica 15. del corrente fino al Martedì ad hora della Messa Conuentuale.

Nella Basilica di S. Pietro da Martedì dopò la Messa Conuentuale fino à Giouedì ad hora dell'istessa Messa.

Nella Basilica di Santa Maria Maggiore dal Giouedì dopò la Messa Conuentuale fino al Sabbato ad hora della medesima Messa.

In quorum fidem &c. Datum Romæ ex ædibus nostris hac die 11. Septembris 1658.

M.A. Episcopus Hieropolitanus Vicesgerens.

Ioseph Palamolla Secretarius.

Die 12. Septembris summo mane Sanctissimus à Palatio Quirinali discessit, peracto Sacro, & sedula gestatoria vectus, inde ad Vaticanum cōtendit, & in Basilicam ingressus ante Altaria Sanctissimi Sacramenti, & Apostolorum preces effudit; mox ad Palatium ascendit. Sub Vesperas verò, vt populum, nedum verbo, sed exemplo ad pietatem excitaret, euulgatam indulgentiā plenariam lucrifacturus, rursus Basilicam petijt, in qua reperit expositum Venerabile Sacramētum. Ibi paululùm orauit, idemquè ante Aram Maiorem egit; subinde ad Ecclesiam Sancti Augustini perrexit, vbi iam solemnia Beati Thomæ de Villanoua ad primas Vesperas inchoata fuerant; Quamuis enim Beatus idem obijsset die 8. Septembris, tamen à san. mem. Paulo V. eiusdem Beati annuali memoriæ recolendæ decreta fuit dies decima octaua eiusdem mensis, vt Fratres Sancti Augustini post octauam S. Nicolai de Tolentino, liberiùs possent solemnijs eiusdem Beati Thomæ vacare.

Postquàm verò Sanctitas Sua pariter ante Altare maius, in quo repositum erat Venerabile Sacramentum, & ante Altare Beati Thomæ preces effudisset, ad Quirinale Palatium redijt.

Eandemque Indulgentiam plenariam Sanctitas Sua extendit ad Moniales, ad Cœnobitas reclusos, ad detentos in Carceribus & ægrotantes, vel aliàs impotentes, commutatis iniunctis in edicto in alia pietatis opera ad arbitrium, & virium vniuscuiusque limites.

Interim Reuerendissimus de Vecchijs Congregationis Sacri Concilij à Secretis admonuit Episcopos omnes propè Vrbem, & extra eorum residentias degentes, vt ad Vrbem contenderent, sententias laturi in semipublico Consistorio, die 23. decurrentis mensis Septembris, celebrando.

Die 19. eiusdem Cæremoniarum Magistri Cursoribus tradiderunt schedulam intimationis Consistorij semipublici, domi etiā dimissa Copia, patefaciendā singulis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prothonotarijs Romæ degentibus, necnon Decano & alteri ex Auditoribus Rotæ, ac Procuratori generali Cameræ Apostolicæ.

Die Lunæ 23. mensis præfati, in Aula Ducali Palatij Quirinalis, celebratum fuit Consistorium semipublicum: Summus Pontifex

tifex pedès ad Aulam prædictam accessit indutus amictu, alba, cingulo, stola violacei coloris, & pluuiali è raso simplici rubeo, cum mitra pariter simplici, sustinentibus fimbrias anteriores duobus Prothonotarijs, posteriores verò duobus Cubicularijs assistentibus. Sedit Sanctitas sua in Sede Consistoriali consueta, & sederũt Cardinales in scamnis, quibus ijdem vtuntur in Consistorijs secretis, & Prælati in scamnulis sinè postergali, quæ adhibere solent in concionibus coram Summo Pontifice: Patriarchæ scilicet, Archiepiscopi, & Episcopi Assistentes post sedilia Cardinalium Presbyterorũ; Episcopi non Assistentes post sedilia Cardinalium Diaconorum; Quoniã verò horum numerus excedebat loca sedilium post Cardinales Diaconos collocatorum, eorum aliqui sederunt post sedilia Cardinalium Presbyterorum in scamnulis Episcoporum Assistentium ordine retrogrado, itaut iunior Episcopus non Assistens proximior esset iuniori Episcopo Assistenti; è conspectu autem Sanctissimi post terga Cardinalium sederunt octo Prothonotarij Apostolici, Auditor Papæ, Prothonotarius Supranumerarius, ac duo Auditores Rotæ, quorum primus de mitra, alter de Cruce Sanctitati suæ inseruijt; Hi verò omnes, nec exceptis Cardinalibus, cappis violaceis induti, interfuere. A sinistris tandem Sedis Pontificiæ, penès bussolam ligneam, steti, Ego Congregationis Sacrorum Rituum à secretis, & Cæremoniarum Præfectus, indutus rocchetto, & mantelletto, necnon steterunt duo Cubicularij Assistentes, induti vestibus, & caputijs rubeis, alij Cęremoniarum Magistri amicti vestibus violaceis, Secretarius, & Clericus S. Collegij, induti vestibus, & caputijs rubeis è more inuersis. Diaconi Cardinales Assistentes, cum primùm sedisset Sanctissimus, ad Sedile Diaconorum, se receperunt: postquàm verò paululùm sedissent omnes Cardinales, & Prælati, his ipse innui, vt assurgerent, & Sanctitas sua sermonem inchoauit, his verbis.

DEI OMNIPOTENTIS Maiestas infinitæ perfectionis complexa æternitatem, excellit adeò, exceditq. cuiusuis intellectus creati facultatem, vt si ad ipsam audeat scrutator accedere, illicò eiusdem gloria opprimatur. Sed quoniã idem Omnipotens

potens Deus est benignissimus Dominus; accommodat sese, & quasi obsequitur nostræ imbecillitati, dum obnubit ita lucem suam, vt permittat, eam nos aliquatenus contemplari; amatque cognosci, & laudari à nobis, mirabilis in Sanctis suis. Hos enim cũ veneramur, primigeniam Dei Virtutem, qui solus Sanctus, in Seruis eius participatam & profitemur, & prædicamus. Eosdem vt peculiari honore afficiamus, præcipit Magister, ac Redemptor noster, cum mandat, vt simus perfecti, sicuti Pater noster Cœlestis perfectus est: vt scilicet ipsum imitemur, à quo honorificandum eum esse, quicumq; sibi ministrauerit, pollicetur. Consueuit ideò Sedes Apostolica à primis vsque temporibus, Martyrum, aliorumque præstantium Virorum sanctitatem vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ colendam proponere, quod succedentibus deinde seculis, alio, atque alio ritu solemniter celebrauit. Fuimus nos VVerdæ ad Rhenum (Cæsaris insulam vocant); ac eodem in templo, ad eandem aram, antè Sancti Suiberti Episcopi reliquias operatisumus, vbi traditur, cum anno repar:sal: DCCCIII. Leo III. Prædecessor noster, supplice Germania, & Carolo Cæsare, Sãctorum numero eximium illum Dei Sacerdotum adscriberet, contigisse inter Chori concinentis preces, vt reuiuisceret illicò nobilis puer Goccellinus, lacrymis flagitante sacros ante cineres matre, qui per quindecim horas Rheno submersus, iacuerat in profundo. Agimus ergo, quod Deus mandat, quod seruat Ecclesia, quod fideles Populi, ac Principes rogare consueuerunt, dum excellentium hominum merita sanctitatis titulo ad cultum, & venerationem consecramus. Quòd verò Thomam de Villanoua Archiepiscopum Valentinum præ ceteris hodie proponamus, faciunt, tum Beati prærogatiua illi à Paulo V. Prædecessore Nostro iamdudum concessa: tum Ordinis Episcopalis decus: tum Regis Hispaniarum, aliorumque Principum, ac Populorum communes cum Augustiniana familia obsecrationes: tum verò (confidenter dicimus) nostra erga D. Augustinum, sanctissimum Theologię Magistrum, à Maioribus secundum carnem per manus quasi tradita, & peculiaris ab adolescentia erga hunc eius Alumnum suscepta veneratio. Hũc porrò tamquam Episcoporũ exemplum nostro hoc æuo proponere meditamur, ob multas, præclarasquè eius in Pastorali munere virtutes, & ob vnam præcipuè

libe-

iberalitatem à prima ætate ad extremum vſquè vitæ diem munificè exhibitam, qua vt fœneraretur Deo, miſerebatur pauperum; & quam par eſt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſules omnes imitari, vt nempe quotquot poteſtatem habent, verè benefici ſint, atque vocentur. Vtrum igitur Thomæ Archiepiſcopo Valentino, quem Diuina fruentem Beatitudine dudum colimus, Sancti appellationem, & appellationi parem cultum decernere conueniat; ſicuti deliberamus adhuc Cœli implorantes oracula; ità veſtras quoque ſententias, Venerabiles Fratres, perlibenter exquirimus. Ad Suffragia.

Poſt hæc, ſederunt Prælati, & ſinguli Cardinales ſuas ſententias in hæc verba dixerunt: initio aſſurgentes detecto capite, ac poſtmodum tecto capite ſedentes, videlicet,

Franciſcus Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Barberinus.

IN hac veterum Conciliorum Romanorum vera imagine, par loco negotium de Cœli arcanis reuelandis proponitur. Thomas de Villanoua ſanctus in infantia, & adoleſcentia virgineo, qui nunquam emarcuit, flore decora, in Auguſtiniana familia, & in ipſo Archiepiſcopatu Valentino, ad quem rectà via, hoc eſt, vi pertractus fuit, tàm diuini verbi, quàm ſacrarum opum diſpenſator fidelis inuentus, & ab omnibus agnitus eſt. Quamobrem, qui priuato cultu ſanctimoniam eius colebant, votis, ac precibus impetrarunt, vt authoritate Sedis Apoſtolicæ liceret, imagines ipſius in templis radijs redimitas exponere, & publicè venerari. Reliquum eſt, vt additis miraculorum, & rerum præclarè geſtarum probationibus, quas abundè eſſe exiſtimo, eo oraculo, quo cœleſtia nobis patent, & Chriſtiana fide tenenda docemur, ſuper cœlos gloria, & honore coronatum Thomam, Sanctitas Veſtra definiat: quò eius inhabitet gloria etiam in terra noſtra, & Dominus laudetur in Sanctis ſuis.

Bernardinus Epiſc. Prænestinus Card. Spada.

INter alia, quæ me, de Beato Thoma coram Sanctitate Veſtra verba facturum à dicendo deterrere poterant, illud eſt

præ-

præcipuum, quòd videbam, loci temporisquè ratione id suadente, pauca mihi de plurimis, iisque præstantissimis eius virtutibus, esse delibanda; laudumquè flumen abundantissimum, breui verborum ambitu coercendum. Quamobrem præstare mecum ipse putabam, nihil, quàm pauca de illo ieiunè, & exiliter loqui. Sed quando necessariò dicendum est, omnia dixisse videri potero, cum dixero, nihil admodum eorum desiderari in hoc Dei famulo, quorum causa post obitum, nonnullos, tanquam compertæ sanctitatis viros, æternæquè Beatitudinis certò compotes, sancta Sedes Apostolica Catholicæ Ecclesiæ colendos, inuocandosquè proponere consueuit: id quod eius vitam, vel obiter lustranti apparebit. Siuè enim quis in teneris eum aspiciat: siuè mox Religiosæ familiæ alumnum consideret: seù demum populi Præsidem, & Pastorem intueatur; in omni genere virtutum excellentem videbit. Egregiam verò atquè incredibilem erga Dei pauperes charitatem, & misericordiam, vbique non sine ingenti admiratione spectabit. Neque verò desunt cætera, quæ ritè, & rectè, hac occasione requiri solent: longissimi temporis nunquam interrupta de illius sanctitate opinio, multis, magnisque miraculis confirmata: populorum præclara, & constans deuotio: Regum, ac Principũ humiles ad Sãct.tem V.am transmissæ preces: nostrorum denique temporum difficultates, & angustiæ; quæ, multiplicatis apud Deum intercessoribus, opportunè postulant subleuari. Quæ quidem omnia, Beatissimæ Pater, cogunt me, in eam sententiam descendere, vt sanctissimo Viro Sanctorum cultum solemniter decerni posse, ac debere, constantissimè censeam.

Iulius Episcopus Sabinen. Cardinalis Sacchettus.

QVis dubitet, Beatissime Pater, honoribus, & laudibus efferendum esse Virum, quem ipsæ sacræ paginæ exquisiuerunt, vt laudarent? Beatus enim Thomas est ille expetitus Vir, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris; quique non pecunias solùm, sed etiam omnem suppel-

ellectilem, in pauperum vsum; & alimenta distribuens, fecit in ita sua mirabilia. Quæ aliàs in secreto Consistorio per me anctitati Vestræ exposita, inducunt in votum, vt Beatus Thomas in Sanctorum numerum adscribatur.

Martius Episcopus Albanen. Cardinalis Ginettus.

COntemplor, Beatissime Pater, Thomam de Villanoua inter Christi pauperes se, suaquè profundentem omnia, siue in paterna domo adhuc infantem: siue cum in religiosæ paupertatis angustijs diues Deo, pectus effudit in proximos: siue cũ de Sede Archiepiscopali fortiùs erupit flamma, qua intus ardebat: & videre mihi videor Reginam Charitatem, solium magnificentiæ suæ sibi erexisse in corde Thomæ, vt ab infantia cresceret cum eo miseratio ad splendores vsquè Sanctorum. Hinc ille mortalium conditionem supergressus, vitam incomparabili thesauro heroicarum virtutum intexuit, & mirabilium operum serie nunquàm interrupta, dum viueret, magis viuida dum moreretur, ad hunc vsque diem exornare non destitit. Tuo igitur, Beatissime Pater, hoc est Spiritus Sancti oraculo, Catholicæ Ecclesiæ venerandus, inuocandusque decernetur Thomas, expressa Diuinæ charitatis imago, & viuum Christianæ pietatis exemplar.

Antonius Episcopus Tusculanus Cardinalis Barberinus.

BEatissime Pater: Omnia, quæ disertissimè dicenda forent de Beato Thoma de Villanoua Archiepiscopo Valentino, paucis à Diuo Chrysostomo perstringuntur. Quando Charitatis est impositum diadema, id sufficit, ad ostendendum perfectum: Omnia dedit ille pauperibus. In vna Charitate omnes coalescunt virtutes: Charitas enim omnia credit, omnia sperat, omnia suffert. Huius Charitatis oleo noster inunctus Athleta, de com-

muni omnium hoste victoriam reportauit. Nudus cum nudo luctabatur, nec vndè teneretur habebat, qui, quod solùm illi remanserat, cubili etiam pauperi domestico donato, in alieno recubuit, dum Deo sanctam reddidit animam, qui coronam iustitiæ redditurus erat ei iustus Iudex. Hac redimitus regnat in cœlis. Remanet, vt Sanctorum debita veneratione colatur in terris. Hoc iure optimo expectatur ex Vicaria Dei potestate, à Sanctitate Vestra promendum, ac decernendum.

Hieronymus Tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Cardinalis Columna.

HEsperus Hesperiæ vltimæ B. Thomas de Villanoua, Beatissime Pater, Phosphorus tandem assurgere debuit, vt non tantùm nobis luceret per noctem, sed clara die spectandus, totum terrarum Orbem fulgore suo illustraret. Hæc igitur prima lampas ardentissimæ charitatis in specula Diuinitatis appareat, & quæ mortales tantis beneficentiæ influxibus cumulauit, ab ijs nunc humillimæ venerationis officia consequatur. Vt enim decernatur aliquando sanctissimo Viro titulus sanctitatis, vitæ innocentia primo inuitat, pœnitentiæ opera suadent, miraculorum frequentia imperat; sed prodigiosa charitas cogit.

Franciscus Maria Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum Cardinalis Brancacius.

BEatus Thomas à Villanoua Archiepiscopus Valentinus, virtutibus licèt, ac miraculis, quibus magnificatus est vehementer, summopere coruscauerit, se tamen maiorem reddidit illum, charitas erga proximum, & dilectio; Neque enim quisquam magis Beatus, teste Ambrosio, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. Vnde Eleemosynarij inter mortales cognomentum, & speciale inter Cœlites præmium est, vt credimus cõsecutus. Cumque fœcundus sit ager pauperum, ait Augustinus, citòque reddat donantibus fru-

fructum; hinc non absque Diuino consilio factum existimo, quòd intra centum annorum spatium, ex quo in Domino obdormierat, præ multis alijs antiquioribus Dei seruis, & Beati meruerit obtinere titulum, & si infallibile S.tis V.æ iudiciū accesserit, Sancti denominatione decoretur. Quod ritè iureque fieri posse censeo, vt sic tanquam lucerna in caliginoso loco luceat omnibus, nosquè imitari non pigeat, quem celebrare delectat.

Vldericus tituli Sanctę Anastasiæ Cardinalis Carpineus.

BEatum Thomam de Villanoua, qui in sæculo ab ineunte ætate, non exiguæ sanctimoniæ luce coruscauit; qui assumpto religiosæ vitæ instituto sub Regula Magni Patris Augustini, ita omnibus morum disciplina, & eximijs virtutibus præluxit, vt videretur quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne; qui in Archiepiscopali dignitate, quam inuitus accepit, quasi Sol refulsit in Templo Dei; in quem intuentes Ecclesiarum Pastores, omnesque Ecclesiastici viri heroicarum splendore virtutum obstupescunt, & inauditæ charitatis ardore inflammantur; dignissimum esse, Beatissimè Pater, qui Ecclesiæ Catholicæ, vniuersoque Mundo splendeat è Cœlo, voce tua in numerum Sanctorum cooptatus, iudico; sciantque omnes, & credant, eum, qui, præsertim amore pauperum, nec sibi lectulum, in quo moreretur, reliquit, domum iam habere ditissimam, non manufactam, æternam in cœlis.

Marcus Antonius Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Cardinalis Franciottus.

VT à Diuina in Terris Sapientia enunciatum accepimus, duo sunt, quibus Christiana perfectio præcipuè nititur, atquè concluditur: amor in Deum; & in proximum quemquè beneuolentia. Vtrumque egregiè præstitit Beatus Thomas de Villanoua: alterum studio precum maximo, commodorum nullo,

æstimatione rerum cœlestium, contemptu humanarum, impleuit; alterum verò, vt quisquam maximè, exhibuit accuratissimo Pastoralis muneris vsu, & sudoris, atquè auri profusione inexhausta; dum his, aut vitio pararet bellum, aut virtuti præsidium. Vt propterea ei maximè deceat per Sanctitatem Vestram summos decerni honores, cuius summas constat fuisse virtutes, cum præsertim monuerit nos Christus Dominus; ne lucernam, quæ virtus Sanctorum est, in abscondito habeamus, sed palam; vnde illa miraculis illustret, virtutum exemplis etiam accendat Ecclesiam.

Vincentius tituli Sancti Clementis Cardinalis Maculanus.

EX relatis in hoc veritatis Senatu, iustum videtur, vt Beatus Thomas Archiepiscopus Valentinus, ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini assumptus, quem Deus copioso gratiæ suæ dono aduersus Diaboli, Mundi, & Carnis tentationes protexit, ad heroicum virtutis culmen extulit, plebi suæ afflictissimis temporibus in subsidium dedit, gloria miracolorum toti Orbi manifestauit; in albo Sanctorum Confessorum, solemni Canonizationis ritu, conscribatur: vt omnis caro confiteatur Domino, quoniam bonus, & non continet in ira sua misericordias suas, dum nostris exigentibus peccatis, visitat nos in virga furoris sui ex vno, ex altero nos munit nouo auxiliatore: Hostes nostros permittit, qui luctuosa tempora excitent, & Amicos suos multiplicat, qui Ecclesiam exhilarent. Benedictus Deus, qui fecit nobiscum misericordiam hanc maximam.

Nicolaus tituli Sanctæ Mariæ Angelorum Cardinalis Ludouisius.

BEatum Thomam de Villanoua Cœlitibus olim adiunctum, Beatissimè Pater, incredibilis illa ab ipsa infantia ad vltimum vsque spiritum, in pauperes miseratio, Zelus, & ardor,

tum

tum religiosæ disciplinæ tuendæ, tum Ecclesiæ adminstrandæ; aliæque heroicæ virtutes, & miracula per ipsum à Deo patrata testantur: Quapropter, supremos honores, titulosque in Ecclesia tanto Viro decernere liberè posse Sanctitatem Vestram, existimo; vt & illi debitus cultus exhibeatur, & Christianus populus maiori cum fiducia eius auxilium imploret.

Federicus tituli Sancti Martini in Montibus Cardinalis Sfortia.

VIrtutum omnium ornamentum ita in Beato Thoma eluxit, vt factus Templum Spiritus Sancti, miraculis clarus effulserit, quorum prodiere præcipua, & magna frumenti copia in horreo penitus vacuo inuenta, & duo mortui ad vitam reuocati: verè imitator eius, qui ex nihilo omnia fecit, & è sepulcro præbuit se ipsum viuum.

Viros pietate insignes, Sanctorum fastis adiungere Sanctæ Inquisitionis decreta rem planè difficilem reddidere. Iam trigesimus recurrit annus à postremo Canonizationis actu. Sed is, qui spirat quando, & vbi vult, fecit in prauis directa, & in asperis vias planas, minimè passus præscriptioni cœlestia esse obnoxia, quæ sunt addicta æternitati.

Arbitror igitur, Sanctitatis Vestræ oraculo posse optimo iure inter Sanctos referri tam præclarum Heroem, à quo Antistites, Augustiniana familia, Natio Hispana, totusq; Christianus populus lætanter accipient quid discant, & imitentur.

Fabritius tituli Sancti Augustini Cardinalis Sabellus.

CVm in Dei, ac proximi dilectione tota lex pendeat: dubitandum non est, illam Beatum Thomam à Villanoua penitus assecutum; qui semper se maior in Diuina dilectione se totum impenderit, adeoquè Diuinæ legis obseruantia, sanctissimæ vitæ ratione meditatus est, vt ex ea nec vnus apex exciderit.

Vnde

Vnde quid mirum, cum hac cœlesti sapientia tot virtutum bona in eum deuenisse? Hinc illibatus vriginitatis flos, quam puritatis, & Augustini cingulo obstrictus, non minus Cœlo, quàm tumulo intulit. Hinc integerrima vitæ innocentia: hinc rerum omnium abdicatio: hinc Diuini amoris incendium in eo ad prodigium penè extiterunt. Hinc zelus ille, qu. ne labem, ne rimam Ecclesia pateretur, quamuis mitissimus agnus, assurrexit vt Leo, & sępe Pastoris baculum vertit in fulmen, & pro sacrorum, pro religionis, pro fidei integritate, vsquè ad extremum spiritum decertauit. Qualis verò in proximos extiterit, egregius ille Elcemosynarij titulus indicat, quē pauperrimus ipse bonis omnibus emit, ibi thesauros suos, nimirum in cœlis, & in pauperibus ponens, vbi cor suum; ea etiam in egestate, ac nuditate obire contentus, qua Christus Dominus in Cruce se bonis omnibus, vt nos ditaremur, expoliauit. Vt iure merito de illo dictum communiter sit. Mecum creuit miseratio, & de vtero matris meæ orta est misericordia. Quare sicut Deo infinitæ agendæ sunt gratiæ, qui admirabilis est in Sanctis suis, ita & Sanctitati Vestræ, quæ tantùm Virum inter Sanctos asserere, totique Ecclesiæ, vti vnicum omnium exemplar, vt luceat omnibus, qui in Domo sunt, educere statuit.

Hieronymus tituli Sancti Honuphrij Cardinalis Lomellinus.

EXcipiet Christianus Orbis, quem S.^mus V.^a post integrum sęculare spatium terris restituet Thomam: & restituendum censeo pio, ac ingenti cum beneficio, vt qui homo inter homines desijt esse, Sanctus reuiuiscat, ac heroicis gestis nuper relatis, quæ cum in humanis agebat, fuerunt supra humanum morem præclara ad exemplum, post obitum verò supra naturę vires mirabilia ad stuporem, Sacro Ecclesiastico ordini imitationem sui relinquens, ipse cum Principibus sedens, solium gloriæ teneat.

Chri-

Christophorus tituli Sancti Marci Cardinalis Vidman.

BEatissimè Pater: Beati Thomæ de Villanoua, Archiepiscopi Valentiæ, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Canonizationem, hucusque crebris Congregationibus protractam, iustis de causis absoluendam censeo.

Prætereo, quod in ornatu huius Angelicæ Animæ omnes tam Cardinales, quàm Theologales consensere virtutes; ex ijs tamen Charitas, & Fortitudo, lucidius apparuere: Illa, non tantum in subleuandis pauperum miserijs; verum etiam eorumdem secretis necessitatibus cum profusione paternæ substantiæ spontè occurrendo; Ista, Episcopale onus alacriter ferendo, inflexibili præcipuè animi robore contra Rectores Mundi pro libertate Ecclesiastica, assiduò etiam audiendi labore, cum noctu dieque populorum querelis pateret aditus, vt auditas summa cum pietate, & iustitia componeret.

Talibus igitur ornatum meritis, atquè alijs animi dotibus insignem, miraculis præterea, & in vita, & in morte illustrem, Sanctorum fastis iure merito adscribendum censeo.

Aloysius tituli Sancti Alexij Card. Homodeus.

OMnipotentis Dei consilio, qui adiutor est in opportunitatibus, pro conditione temporum, Sanctorum virtutes imitandæ proponuntur. Agitur in præsentia, de Beato Thoma de Villanoua Sanctorum fastis adscribendo, & opportunè; nam summa ipsius pietas in subditis audiendis, tuendis, iuuandis: sancta in pauperes prodigalitas: pastoralis in regenda, tuendaque Ecclesia solicitudo, ac constantia: cæterarum denique virtutum excellentia miraculorum gloria coruscans, & Apostolica discussione probata, præsentis sæculi restaurant infirmitatem, & accendunt fidelium gregem, præcipue verò religiosum, & Ecclesiasticum Ordinem, vt maiori studio tantum virtutum apicem attingere connitantur. Summam igitur huius temporis vtilitatem, & illustre Sanctitatis Vestræ decus esse censeo, si Beatus Thomas inter Sanctos relatus, vniuersæ Ecclesiæ venerandus proponatur.

La-

Iacobus Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ Cardinalis Corradus.

BEatissime Pater. Gloriosus Deus in Sanctis suis, copiosus in misericordia, liberalis in gratijs, & in retributione munificus, de supremis cœlorum ad ima Mundi oculos suæ Maiestatis inflectens, & benigna consideratione discutiens, quos intuetur, mirifica radiatione clarificat. Hinc eximijs non solùm meritis, sed supernorum charismatum donis, Seruus eius dilectus Beatus Thomas de Villanoua ab ineunte pueritia ad extremum vsque vitæ huius momentum decoratus, quasi rutilans lucerna super aureum candelabrum honorificè collocata præfulsit: ac demum vita religiosissimè functus tanquàm emeritus, æternaque remuneratione dignus, post laboriosa mundi certamina, quæ feruens in Diuinis obsequijs potenter iniuit, infractoquè animo superauit, æthereis sedibus iam receptus, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat, victor coronatur. Quod innumera ferè miracula, iam Sanctitati Vestræ in hoc sacro consessu relata, ac Sacræ Congregationis decretis sæpiùs comprobata, clarissimè contestantur; vt mentis nostræ oculis Diuinæ claritatis luce fulgente, cœlestia (quantum in nobis est) suspicientes arcana, gloriam ipsius apertiùs agnoscere, & prædicare possimus. Hic enim in sortem Pontificalis ministerij dignè vocatus à Domino, monita Apostoli apprimè recolens, super gregis sibi commissi custodiam, attentissimè vigilauit.

Si quem fortè graui deprehendit tentatione concussum, fulcimento consolationis adhibito, iam iam cadentem erexit: Si quos inopes, ac egenos comperijt, hos semper propitius munificentissimè recreauit: Si quem verò in bono proficientem aduertit, protinus confortauit: vt meritò non minus deficientibus se pium exhibuerit Patrem, solicitumque Pastorem. Hic pietatem in Deum, & charitatem in proximum sublimiter adeo coluit, vt Reuerendissimus Dominus meus Causæ Relator in limine ipsius orationis meritò effatus, illum de hac retulisse triumphum, cœterarum omnium virtutum compendium in eo diuinitùs cumulatum, huiusmodi elogio perstrinxerit.

His itaque veritatis testimonijs innixus, Beatum hunc virum

San-

Sanctorum catalogo ascribi, atquè vniuersæ Ecclesiæ [illegible] ritu venerandum iure proponi posse censeo, quando Sanctitas Vestra, cuius solius est iudicium, Diuino afflata Spiritu, ita duxerit declarandum. 43

Hinc enim Deus Optimus Maximus in illo glorificabitur: hinc exultabit venerabilis Sanctorum cœtus, quibus ore Prophetæ dictum est: dabo vos cunctis populis in laudem, & gloriam, & honorem.

Hinc fides Catholica confirmabitur, ijdemque Christi fideles, mentis torpore discusso, ad bona opera excitabuntur; & tanto sibi ascito Patrono in tot malis, quæ vndiquè premunt, dulce reportabunt solatium. Exultabit tandem Sancta Mater Ecclesia, nouæ sobolis fœcunditate iucunda, ac eius illustrata fulgoribus, atquè insignijs decorata; sobolis, quæ sonoris attollenda præconijs, summæquè venerationis exhibitione colenda infallibili Sanctitatis Vestræ decreto pronunciabitur.

Marcellus Tituli S. Stephani in Monte Cœlio Cardinalis Sanctacrucius.

QVot habet Cœlum sydera, tot in Beato Thoma de Villanoua fulgent præclarissimæ, & heroicæ virtutes: illa tamen potissimùm S.V. animum permotum puto, ad tanti Viri gloriam promouendam, qua excelluit maximè, & visus est quasi cum Deo liberalitate certasse. Deductus est eò Thomas, vt Valentina opulentissima Ecclesia, vnde solo pane Episcopum aleret, vix haberet, & nihilominus, quando sic deficiebant etiam necessaria, tunc dispersit magis, & dedit pauperibus: quod vt abundantiùs faceret multiplicauit sæpiùs Deus annonam: & horrea vacua, visa sunt redundantia per miraculum. Scilicet noluit Deus in hac pugna vinci, quamquam visus est quodammodo vincere Thomas, qui Salomone sapientior, non id petebat, vt nec diuitias obtineret, nec paupertatem, sed supremum assequi culmen paupertatis optabat, & ita sibi mendicus, liberalis Dei Thesaurarius dictus, & factus est. Itaquè, si fas est mihi meam proferre sententiam in re tanta, vbi Spiritus Dei S. V. consilia

L mode-

moderatur, & regit; censeo eidem Beato Thomæ Sanctorum cultum decernendum, eiusquè Christianas virtutes fidelibus proponendas ad imitandum.

Baccius Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Cardinalis Aldobrandinus.

MAximum, Beatissime Pater, proponitur Christi fidelibus imitandum exemplum, dum Beatus Thomas de Villanoua sacris aris venerandus exhibetur; cœlestibus enim obsecutus oraculis, arctam, asperamquè viam, quæ ducit ad Vitam, latam, ac planè auream, eleemosynis præsertim, & pietate in egenos sibi aperuit: Regijquè Prophetæ monitis eruditus, pauperum misereri voluit, vt in æternum non commouendus, disponeret sermones suos in iudicio; atquè auro, quod erogarat in miseros, coronatus, Iustorum pretiosa morte non tam interiret, quàm beatæ vitæ nasceretur. Tanto igitur & Christi Discipulo, & Christianorum Magistro, summos Ecclesiæ militantis honores haud differendos censeo.

Ioannes Baptista Tituli Sanctæ Susannæ Cardinalis Spada.

BEatissime Pater: Iste Seruus Dei mirabilia fecit in vita sua; Etenim post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris: quinimò Episcopatus reditus in pauperes ita erogabat, vt ad se nihil pertinere, sed proprium ipsorum patrimonium esse, & illis debitum soluere, non eleemosynam elargiri profiteretur. Modus insuper, quo subditos à noxijs retrahebat, & ad pœnitentiam prouocabat, nempè se ipsum seuerissimè verberando, illos verò suauissimè corripiendo, demonstrat summam, qua erga Deum, & proximum, charitate ardebat: Miraculis etiam in vita, & post mortem claruit; quapropter cum bonum certamen certauerit, cursum consummauerit, fidem seruauerit: reposita est illi

illi corona Iustitiæ: Sancti scilicet denominatio, quam per Sanctitatem Vestram ei reddendam esse non dubito.

Franciscus Tituli Sanctæ Mariæ in Via Cardinalis Albitius.

PRotractus est, Beatissime Pater, non sine Spiritus Sancti instinctu, rei arduæ, atquè difficillimæ exitus; vt à Sanctitate Vestra, quæ Patronum, & Protectorem agnoscit Augustinum, Filius Augustini in Sanctorum numero collocetur. Sanctitas ergo Vestra, quæ veluti iure clientelæ, Religiosam sanctissimi Patris familiam pluribus beneficijs cumulauit, quæ eius templa non modò instaurauit, sed magnificentissimè extruxit; hunc illi sacrum honorem addere non dubitet: vt Cæli lætentur; exultet Terra; & Vestræ Sanctitati inuicem gratulentur. Præclara etenim merita, & heroicæ virtutes Beati Thomæ id expostulant; illa præsertim in proximum prolixa charitas; illa in egenos profusa liberalitas: Nam qui in peccatores, & pauperes misericos est, is Deus est. Sanctitatis Vestræ pietas id suadet; temporis deniquè ratio exigit, vt hisce diebus, quibus, abundante nequitia, Charitas refrigescit, vera Charitatis Imago, Te iubente, Te Duce, Te triumphante, Beatissime Pater, ducatur in triumphum.

Octauius Tituli Sanctæ Cæciliæ Cardinalis de Aquauiua.

CVm Beatus Thomas de Villanoua miraculorum præstantia fulgens, & Charitatis ardore coruscans, Diuini amoris Cereus, vno omnium ore consueuerit appellari; iuremeritò per Sanctitatem Vestram, cui datum est, clauibus Regni cœlorum Cœlituum choros penetrare, & regnantes in gloria, sanctioris cultus corona decorare; lumen idem diù sub modio positum, super Candelabrum publicis in aris exponendum censeo, vt luceat omnibus, qui in Ecclesiæ Domo sunt. Ipse enim virtutum radijs emicans sydus, terris ereptus in Occidente, adorabitur

 oriens

oriens super Montes, quos operiet non vmbra, sed lux sanctitatis eius, eritquè sicut stella in perpetuas æternitates.

Flauius tit. Sanctæ Mariæ de Populo Cardinalis Chisius.

BEatum Thomam de Villanoua, Archiepiscopum Valentinum, ob eius excellentem doctrinam, profundam humilitatem, eximiam in pauperes Charitatem, exactam claustralis vitæ, & in Episcopatus dignitate irreprehensibilem obseruantiam; dignum censeo, qui à Sanctitate Vestra Sanctorum numero adscribatur. Fuit verè Deus mirabilis in Sancto suo, cum per eius manus claudi ambulent, cæci videant, ægri sanitati reddantur; leprosi mundentur, & mortui resurgant. Sunt omnia mirabilia Dei, qui operatur magna solus, & constituit curantem, & fidelem seruum ad custodiendam familiam suam.

Camillus tituli Sancti Marcelli Cardinalis Meltius.

DEbentur Beato Thomæ de Villanoua Archiepiscopo Valentino cœlestes honores, Beatissime Pater, qui dum in terris ageret, terrena cuncta despexit, vt Christum lucrifaceret, cœlestique Regno potiretur: qui omnium virtutum vsu, in Christiana militia diù, multumquè promeruit; donec coronam pulchritudinis Cœli Regnatoribus dignam, posuit in capite suo. Ea enim in primis exarsit in Deum charitate, vt meritò Diuini amoris Cereus appellaretur; tàm impensè proximum dilexit, vt se ipsum hostiam pro populo suo non semel, viuus, & moriturus obtulerit. In amorem pauperum tàm effusus semper, diem clausit extremum, vt ne lectum quidem, in quo moriens iacebat, sibi reseruauerit, nec posse se à carnis vinculis existimauerit absolui, vt euolaret ad Cœlites, si vel pecuniæ minimum, non erogatum egenis, reliquisset in terris. Tantus igitur Vir, tam magnus Heros in Sanctorum virorum album meritò est referendus, qui supra

morta-

mortalium vim, & consuetudinem euectus; dum se ipsum pro nihilo habuit, Ordini suo magni doctoris Augustini, Ecclesiæ suæ Valentinæ maximum honoris incrementum attulit, Hispaniæ vniuersæ decus ingens, & perennem gloriam comparauit.

Iulius tituli Sancti Xisti Cardinalis Rospigliosius.

PRæclarissimæ sunt virtutum prærogatiuæ, quibus Beatus Thomas de Villanoua mirificè insignitus, in diebus suis Deo placere studens, à prima vsquè ætate vias eius sedulò custodiuit, & vitam Mundi contemnens, vitam planè cœlestem peregit in Terris. Religioso Ordini addictus, tum etiam Valentinæ Ecclesiæ Præfectus, factus exemplum bonorum operum, Episcopis vigilantiam, Regularibus disciplinam, omnibus Charitatem assiduè præmonstrauit. Tot merita plurimis, atquè eximijs confirmata miraculis, iure optimo postulare videntur, vt eidem cunctarum virtutum gloria cumulatissimo, Sanctorum honores à S. V. decernantur.

Nicolaus tituli Sancti Eusebij Cardinalis à Balneo.

VIta præclara Beati Thomæ de Villanoua adeò Omnipotenti Deo fuit accepta, vt eius precibus illuminauerit cœcos, ad vitam defunctos reuocauerit, ac alia insignia perpetrauerit miracula. Quapropter (Beatissime Pater) optimam causam habet Sanctitas Vestra, toti terrarum orbi indicandi, ipsum cum Sanctis in Cœlo regnare: & dum gloria illius in terris augetur, sperandum est, quòd huius sæculi calamitates miserando, optatam pacem, viribus inimicorum Sanctæ Ecclesiæ prostratis, obtineat.

Fran-

Franciscus tituli Sancti Ioannis ante Portam Latinam Cardinalis Paulutius.

HEroicæ virtutes, & insignia miracula, quibus Beatus Thomas Archiepiscopus Valentinus sanctam illustrauit Ecclesiam, satis superquè suadent, vt post diuturnum examen, ad eius solemnem Canonizationem, de more Apostolicæ Sedis, procedatur. Et admirabili quidem Diuinæ Prouidentiæ arcano factum esse censeo, vt in hoc sæculo, quo ex tot bellorum influxu Charitas potissimè refrigescit, is, per Sanctitatem Vestram, Spiritu Sancto suggerente, colendus Christiano populo proponatur, qui Charitatis æstu mirum in modum exarsit: vt si per iras angustiantur vasa carnis, dilatentur per pacem spatia Charitatis: & quo tempore fames orbem terrarum pluribus in partibus agitauit, is aris admoueatur, cui Deus, præter naturæ ordinem, ad sustentationem egenorum triticum multiplicauit in horreo, vt, eius interuenientibus meritis, impleantur horrea saturitate, & vino torcularia redundent; quin & grassante pestilentia, is ad Sanctorum honores euehatur, qui pro subleuandis proximis, nec cubile sibi ad vltimum exhalandum spiritum reseruauit, vt magis magisquè discant Pastores animas pro ouibus ponere.

Sed & Sanctitati Vestræ specialiter reseruata videbatur præsentis sæculi, per Beati huius Viri Charitatem, restauratio, cuius nempe felix ad summi Apostolatus apicem electio, ipso sæculari anno ab eius obitu recurrente contigit: cuius Familia Augustiniani Ordinis cœlum pluribus sanctitatis syderibus impleuit: quę tandem, præclaris hisce præeuntibus Charitatis exemplis, ad pacem data est populorum.

Virginius Sanctæ Mariæ in Via lata Cardinalis Vrsinus.

SAnctitas Vestra, pro pastorali sua solicitudine in promouenda virtute, nostras exquirit sententias: an in Sanctorum cœtum referendus sit Beatus Thomas de Villanoua. Ecquis dubitet,

tet,

tet, Beatissime Pater, quin coronari in Cœlo debeat, qui strenuè certauit in Terris? Re itaque in Sacra Rituum Congregatione maturè discussa; probatis vitæ sanctimonia, & miraculis: omnium deinde, tàm in publico, quàm in secreto Consistorio, facta relatione, & peractis de more peragendis; non solùm censeo, deueniendum esse ad eius Canonizationem, sed etiam humillimè supplico. S. V., velit, decreto illi de relata victoria aduersus Mundum iustissimo triumpho, solari vota Christianæ Reipublicæ, vt tanti Viri edocti exemplo fideles, qui cupiunt exaltari, discant non inter rerum humanarum fastigia, sed inter cœlestia veram gloriam inueniri.

Vincentius Sancti Eustachij Cardinalis Costagutus.

VItæ innocentia, perpeti innixa castitati: profunda in Regulari obseruantia humilitas: vigilans in moderamine populorum solicitudo: zelus domus Dei, cæteræquè eximiæ virtutes illuxerunt in Beato Thoma Valentiæ Archiepiscopo. Sed excelluit inter omnes vna Charitas, quæ sola secernit filios Regni à filijs perditionis, & quæ ita ex Deo est, vt ipsa sit Deus. Hæc à puerilibus ientaculis inter egenos distributis, in diem aucta, eò vsquè peruenit, vt Thomas moriturus lectulo, quo cubaret, indigeret, summam ideo misericordiam consecutus, quia summè misericors, nec sperans in pecuniæ thesauris, ex ipsis thesauros sibi gloriæ parauit in cœlis: verè Beatus, quia bene intellexit super egenum, & pauperem. Tuum nnnc est, Beatissime Pater, Beatum Thomam miraculis insignitum, illustri meritorum diademate coronatum, publicis aris admouere; & dextera tuæ potentiæ, qua Cœli pandis ostium, iubere, eleuari portas æternales, vt inter Pontificum choros, super montibus Sion, tanquam sydus effulgere, vniuersa videat, atque adoret Ecclesia heroicę exemplar charitatis, & veræ formam virtutis.

Bene-

Benedictus Sanctorum Cosmæ, & Damiani Cardinalis Odescalcus.

IN carne præter carnem vixit Beatus Thomas de Villanoua, Beatissime Pater. Siuè enim intra sui religiosissimi Ordinis claustra viueret, siue Archiepiscopali dignitate fulgeret, in singulis virtutibus ita eminuit, quasi cæteras non haberet: eiusdemquè diuitiæ fuerunt nihil possidere, & Crux, quam tota vita familiarem habuit. Nam quod suo præparco victui supererat, in pauperes erogabat, quos ardentissimè ab incunabulis dilexit, vt meritò de se dicere potuisset. Ab infantia mea creuit mecum Miseratio, & de vtero Matris meæ egressa est mecum. Cœlitum ergo cœtui adscribendum censeo, qui cœlestem vitam in terris exegit: Sic enim magis mortalibus præfulgebit ad vitæ immortalitatem, & charitas in egenos, quæ in Christi fidelibus elanguit, feliciter florescet.

Laurentius Sancti Angeli in foro piscium Cardinalis Raggius.

PAr est, Beatissime Pater, vt qui Christianæ militiæ Duces meritis æquiparat, eosdem exæquet & titulo. Thomas de Villanoua, per arma Iustitiæ, bonum certamen certauit, prodigus animæ magnæ in sui victoriam, & magnarum diuitiarum in triumphum Charitatis. Morbi profligati, pauperes euangelizati, vita propagata, sanctissimum prædicant. Nil abest igitur quin sacro Heroi laurea, & diadema decoris decernatur, vt egregiorum facinorum præmia, æquè, ac ipsa facinora, elucescant in splendoribus Sanctorum.

Fran-

 47

Franciſcus Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinalis Maidalchinus.

BEatiſſime Pater. Si Diuinæ oraculo veritatis, qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris, ille beatus eſt vir, & meritò feciſſe dicitur mirabilia in vita ſua; multò certè beatior, multoquè mirabilior dicendus erit Beatus Thomas de Villanoua Valentiæ Antiſtes, qui non modò quicquid habuit auri in opulentiſſima Eccleſia, quicquid theſauri, id totum profuſiſſimè in pauperum ſinu collocauit, vbi neque ærugo, nequè tinea demolitur; nec fures effodiunt, aut furantur; ſed pluribus etiam patratis miraculis probè oſtendit, quàm ſit mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Tam Beatum ergo, tamquè mirabilem Virum iungat Sanctitas Veſtra, de more, Sanctorum choris, vt illum noua hac honeſtatum pompa, interceſſorem habere mereamur in Cœlo. Sic enim futurum confidimus, vt tota ſtatim Eccleſia, beatam pariter, ac planè mirabilem conſequi debeat tranquillitatem, & pacem.

Carolus Sancti Cæſarei Cardinalis Barberinus.

BEatiſſime Pater. Chriſti Vicarij dignitas quanta ſit, hoc maxime liquet, quòd mortales ſupra ſortem mortalium iam poſitos, ſolus ipſe confirmet: Principes enim in Terris conſtituere, alijs quoque conceſſum: in Cœlis autem declarare, huic vni datum. Beatum verò Thomam à Villanoua horum numero S. V. decreto eſſe adſcribendum, omnigenæ perſuadent virtutes, quæ in eo ad Archiepiſcopatum, reluctanti licèt, euecto, potiſſimum micuere. Si enim erga Eccleſiam ſuam ſtudium ſpectemus; prodeſſe illi maluit, quam præeſſe: ſi ſollicitudinem in egenos, eorum poſtulationes vel præuenit, vel ſuperuenit: Si deniquè charitatem, & beneficientiam in omnes; ſummæ diuitiarum affluentiæ iunxit paupertatem: Perfectionis nimirum exemplar vel ipſa dilectione ſe præbens, qua vna omne inſtauratur, mandatum,

 tum,

tum, & legis attingitur plenitudo. Quapropter, accedentibus ſignis, quibus etiam poſt mortem mirabiliter clauſit, ſacros eximio huic Sacerdoti honores, S. V. authoritate incunctanter cenſco deferendos.

Decius Sancti Hadriani Cardinalis Azzolinus.

BEatiſſime Pater. Simile eſt Regnum Cœlorum theſauro abſcondito. Thomæ Charitas theſaurum hunc eduxit è latebris, ac iam non abſconditum, ſed Eccleſiæ vniuerſæ expoſitum theſaurum, quem publicè portauit, imò effudit in via, poſſidet felix in Patria. Thomas verè fidelis, qui non opus habuit digitum inferre vulneribus, vt Chriſtum agnoſceret: ſed benè tetigit Chriſtos Dei, dum manus ſuas extendit ad pauperes, eorum egeſtati aperuit, plagis admouit. Quando igitur tanta animorum, ac rerum diſſidia Chriſtianum orbem vndique diſtrahunt; quid vtilius; quid opportunius; quàm exponere fidelium oculis exemplar pulchræ dilectionis, & obijcere viris ſanguinum, Virum Charitatis? Profectò nihil eritincitamenti vehementius, quò & Eccleſiæ, & Mundi Proceres, in publicas, priuataſquè fideliū neceſſitates, opes vnà, & operam ſeriò impendere vrgeantur. Nec ad vltricem Numinis iram procul auertendam, minorem ſibi Patronum à S. V. poſcunt præſens Orbis Chriſtiani calamitas, Religionis pericula, Eccleſiæ iactura. Cum igitur virtutibus, & ſignis Beati Thomæ maturè iampridèm, & luculenter probatis, accedant Hiſpanici Regni ſimul, & Cleri vniuerſi vota; imò & præſertim Regis Catholici preces enixæ, id pro auita, & verè auguſtiſſima Auſtriacæ Domus pietate impensè poſtulantis; erit ſanè opportunum fidelibus, & præſidium, & exemplum, Beatum Thomam de Villanoua, auctoritate Apoſtolica, Sanctum dici, & coli ſacro ritu. Iure enim poſt multiplex opus virtutis, & fortitudinis emeritæ debetur corona impreſſa ſigno ſanctitatis, imò & magnificentia in ſanctificatione illi, qui, vt cum Apoſtolo ſanctificaret Chriſtum in corde ſuo, propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum continuò exurgens cum Domino meruit

etiam

etiam induci in montem sanctificationis, quem benè super egenos intelligens acquisiuit sibi dextera eius.

Successiuè omnes Prælati simul assurrexerunt, & stantes, singuli his verbis sua suffragia tulerunt.

Volumnius Bandinellus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

BEatus Thomas de Villanoua, quem Pontifex sempiternus cumulata virtutum omnium iustitia, & miraculorũ ostentis largè ditauit, & mox Ciuem Sanctorum, & cœlestis Aulæ domesticum, syderum suffragijs asseruit; auspicijs tuis, Beatissime Pater, iure datur in exemplum sacris Ecclesiæ Præsulibus, vt frigescenti Charitati, ac Pietati propèmodum collabenti opportunè succurrat. Cum Templum Lateranense fatisceret, Sanctorum illud supposita ceruix, humeriquè fulserunt. Ruentem Ecclesiæ disciplinam instaurant exempla Sanctorum. Nihil enim ad sanctitatem magis inflammat, quàm illustre sanctitatis exemplum. Meritò nunc ille, qui per ardua quæquè, Sanctorum imitatus est normam, nobis proponitur imitandus. Quapropter nèdum censeo Beato Præsuli venerationem, cultumque deberi fidelium; sed glorior in Domino, quòd mihi feliciter contigerit in hoc sacrosancto consessu, velut æternis Ecclesiæ tabellis, humile suffragium apponere.

Aegidius Columna Archiepiscopus Amasiensis Assistens.

SI quis miseretur pauperis, beatus erit, vt Diuina canunt oracula. Beatus Thomas à Villanoua, qui omnem suam substantiam dispergens dedit pauperibus, meritò à S.V. inter Beatos Cœlites referri debet, vt iustitia eius maneat in sæculum sæculi.

Christophorus Signius Archiepiscopus Thessalonicensis Assistens.

IN Beati Antistitis Thomæ à Villanoua pectore sedem perpetuam virtutes omnes posuisse,ex eius gestis diligentissimè ad examen reuocatis, manifestè comperimus, Beatissime Pater. Sed Humilitas, & Misericordia super omnes virtutes, vt vidimus, Principatum tenuere. Nec doctrinæ præstantia, nec hominum laudes, nec Summorum Principum æstimatio Thomæ humillimum cor exaltare vnquam potuere. Episcopatum semper fugit, semel recusauit, tandem recepit: quia superiorum imperio cogi potuit.Sed Humilitas dum contra hostes generosè pugnat, in honoribus creuit: Misericordia verò cum eo de vtero Matris egressa, puerum panem suum esurientibus frangere; adolescentem egenos, & vagos in domum suam inducere; Episcopum reditus omnes dispergere & largiri pauperibus liberalitate profusissima docuit. Cum ergo hæ virtutes illæ duæ fortissimæ sint, quibus Iusti à Terra eleuantur ad Cœlum; dubitare non possumus, Regnum à Deo paratum humilibus, & misericordibus, Thomam possidere. Itaque quod illi Sanctorum cultū Sanctitas Vestra decernere deliberauit, non modo iustum, & laudabile consilium puto, sed vt quamprimum, quod cogitauit, perficiat, humiliter obsecro.

Nerius Corsinus Archiepiscopus Damiaten. Assistens.

VEnerabilis Dei seruus Thomas à Villanoua, vitæ integer, morum innocens, virtutum omnium splendore conspicuus, ea præsertim in proximum eximia charitate,vt Eleemosynarius meritò diceretur: tota enim substantia in Christi pauperes distributa, lectulum etiam, in quo decubuit, elargitus est, vt cum nihil haberet in Mundo, quod diligeret, nihil esset in Mundo, quod pertimesceret, ac nudus, nudum Christum in æterna Tabernacula sequeretur. Eiusdem Charitatis clypeo permunitus, bonum certamen certauit; ideoquè in Beata illa Hierusalem

salem triumphat coronatus. Quo intercessore tot miracula operatus est Deus, mirabilis in Sanctis suis, vt dignus profectò videatur, qui in Cœlestium albo à S. Vestra, Diuino fauente Spiritu, describatur.

Fr. Dominicus de Marinis Archiepiscopus Auenionen. Assistens.

BEatissime Pater. Glorietur Iob secum natam ex vtero misericordiam, secum itidem creuisse ab infantia; verùm Beatus Thomas à Villanoua his insuper addat, eandem secum consenuisse, & quasi vltra ianuas mortis fuisse subsecutam: quando & lectulum, in quo sanctè expirauit, iam inopi donarat, moriens tanquàm in alieno. Hunc secundum dixero Ioannem Eleemosynarium, nec fallar. Denique vita ipsius, quacumque parte inspiciatur, prodigium est. Agnosco igitur Magni Augustini magnam prolem, cuius in suo Ordine rigor, ac zelus, dubitare me non sinunt, dignissimum esse B. Thomam, qui Sanctorum albo accenseatur.

Ioannes de Torres Archiepiscopus Salernitanus Assistens.

CVm Thomas de Villanoua sanctissimus Antistes, non modò omnium virtutum zona lumbos sibi praecinxerit, sed miraculorum quoquè splendore, lucernas gestauerit in manibus, adeoquè admissus sit ad nuptias Agni, nefas, omninò sit aris illi decernendis non suffragari. Hoc interim enixè rogando, vt nimirum Deus Optimus Maximus tanto Ecclesiæ suæ addito intercessore, optatam nobis tranquillitatem largiatur, & pacem.

Franciscus Nerlius Archiepiscopus Florentinus Assistens.

TAntùm admirandarum virtutum, & Sacerdotalis lucis iubar, si S. Vestræ visum fuerit, super Candelabrum Sanctua-

rij collocari, è re totius Ecclesiæ fore censerem, quò longè latèquè omnibus, qui in domo Dei sunt, & præcipuè sacri Ordinis nostri viris præluceat; fortioribus ad imitationem egregiam; infirmioribus, quorum plane vltimus ego, vel ad humilitatem salutarem.

Iacobus Altouiti Archiep. Athenarum. Assistens.

QVæ legi, quæ audiui ad Beatitudinem Vestram relata de Beati Thomæ à Villanoua admirabili sanctitate, proprijs oculis aspexi votiuis tabulis ad eius tumulũ expressa, & incredibili perpetuaque populi frequentia celebrata. Sinè vlla igitur hæsitatione in eorum sententiam descendo, qui tantùm Præsulem in Sanctorum numerum referri debere censuerunt.

Ranuccius Franciscus Scottus Episcopus olim Burgi S.Domnini Assistens.

SI Regis Regum Christi Iesu inuiolabili fide statutum est, quòd quicumque fecerit, & docuerit, hic Magnus vocetur in Regno Cœlorum; dignus plane est Beatus Thomas à Villanoua, qui à Sanctitate Vestra inter eiusdem Regni Magnos adnumeretur, cum eius gesta, & opera testentur, fecisse eum mirabilia, & docuisse in vita sua.

Æmilius Alterius Episcopus Camertium Assistens.

BEatissimè Pater. Habet pro se famulus Dei Thomas decretum Spiritus Sancti. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem. Proferat ergo S. V. de thesauris suis noua, & vetera, & gemmam hanc Sacerdotum, quam in cœlestes thesauros iam diu manus pauperum deportasse certò scimus, in militantis Ecclesiæ ornamentum exhibere nè differat.

Lau-

Laurentius Gauottus Episcopus olim Vintimilień. Asſiſtens.

THomæ de Villanoua ſingularem vitæ ſanctitatem, probata virtutum omnium reſonante fama, Terra vniuerſa teſtatur, Beatiſſime Pater, teſtantur & Cœli. Seruo Dei, vel in hoc mortali corpore, Ciui ſuo concinunt plaudentes Angeli, & ipſe deſcendentium choris admiſſus, alternatim Dei laudes annuntiat, perenniter celebraturus; accepto teſtimonio quod maius eſt; die ſcilicet ore diuino indicta, ſe perpetuo regnaturum, Terra igitur, & Cœlo ſimul acclamantibus, dignè Viro Dei decernentur in terris honores debiti regnantibus in Cœlis.

Fr. Ambroſius Landuccius Epiſcopus Porphirień. Aſsiſtens, Sacrarij Apoſtolici Præfectus.

SAnctiſſime Pater. Fr. Thomas de Villanoua Archiepiſcopus Valentinus, cognomento Eleemoſynarius, Sacri Ord. Eremitici Diui Parentis Auguſtini illuſtris, & glorioſa ſoboles, verè inuentus eſt ſine macula: minimè poſt aurum abijt, nec ſperauit in pecunia, & theſauris: vndè innocens, & faciens mirabilia. Aſſiduè manus ſuas, incomparabili animi munificentia, aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes. Ideo non timuit à frigoribus niuis, nec à caloribus nimijs gehennæ, & inferni. Semper ſuper egenum, & pauperem intellexit: & ita Beatus. Tandem omnino, funditusque diſperſit, & dedit pauperibus: quare exaltatus in gloria. Quæ omnia, cum apud hanc Sanctam Sedē in ordine ad ſolemnem eius Canonizationem fuerint iuridicè comprobata, ideo quòd modò cæleſtibus fruatur theſauris, quos, eo largiente, manus pauperum in Cœlum deportauerunt, & quòd ſit publicè colendus, & adorandus, affirmarem per Sanctitatem Veſtram poſſe pronunciari.

Persius Caraccius Episcopus olim Larinen.

IVssus dicere sententiam de honoribus Cœlitum decernendis Beato Thomæ de Villanoua Præsuli Valentino, si licet aliquid authoritatis adiungere tot iuratis testibus, de pia veneratione, quam innocentia vitæ, præclarissimis virtutibus, & rebus mirabiliter gestis apud posteros ipse promeruit: excitabo illius sanctimoniæ locupletissimum testem ex monumentis historiarum, amplissimum virum, iudicio eruditissimum Hieronymum Seripandum, Ordinis tunc Augustiniani decus, deinde huius sacri Senatus fulgentissimum sydus, & Sacr. Conc. Trid. integerrimum Præsidem. Is enim Generalis Præpositus, cum suas Prouincias in Hispania perlustraret, atque Hispalim peruenisset; adeò permotus fuit ingenti sanctitatis, doctrinæ, & eloquentiæ fama Magistri Fratris Thomæ, Burgis tunc temporis officio Prioris fungentis, vt incredibili cupiditate incensus audiendi eum virum, quem quærebat (vt ipse ait) anima sua, perhonorificis litteris illum accersierit Toletum, in quibus præcipuè miratur, quod cum distincta Spiritus Sancti munera variè diuersis sint dispertita; in eum tamen vnum omnia cumulatim collata esse dicerentur, vt idem esset eloquentissimus Diuini verbi interpres, & vitæ, ac sanctimoniæ tanta integritate, vt summos illos primos sui Ordinis Patres non sequi, sed præ ire videretur; prænunciatque à se repertum iri alterum Eliam zelo commotum pro Domino Deo exercituũ, ad cuius oris verbum, post tenebras, lucem, & ventum, fieret pluuia super terram. At hæc, Beatissime Pater, quæ in eo tantopere Seripandus admirabatur, erant veluti prima (vt ita dicam) iam tum adolescentis sanctimoniæ in spiritu religioso rudimenta; atque in Episcopali postea munere strenuè administrando mirabiliter perficiendæ certissima documenta. Quem igitur, B. P., tantæ authoritatis Senator, omnibus muneribus sancti Spiritus cumulatum, & zelo Eliæ proximum nuncupauit, hunc cœlestibus illis honoribus, quos Eliæ zelus promeruit, donandum esse à S. V. non dubitauerim.

Fran-

Franciscus Gonzaga Episcopus Nolanus.

CHaritas, Beatissime Pater, qua admirabiliter accensus erat Beatus Thomas de Villanoua Archiepiscopus Valentinus, itaut Cereus amoris vocari potuerit, tanta erga Deum, & homines enituit; vt Deum ipsum, ipsius amantem ipsemet dignosceret, dum sacris peragendis à terra eleuatus cum Deo gaudens per spatium duodecim horarum adhuc in humanis viuens permaneret: homines verò, scilicet proximum ita dilexerit, vt horrea Parentis paruipenderet pro inopibus subleuandis, & egenis obolum vnum denegare sacrilegium existimaret. Quapropter affirmo Sanctitati Vestræ, eundem Beatum Thomam inter sanctos numerari debere, qui, etiam dum esset in hoc sæculo, Dei meruit conuersationem, & à populo, quem magnoperè dilexit, publicè acclamari. Et huic voto peramanter subscribo.

Ioannes Baptista Scannarolus Episcopus Sidoniensis.

REsponsum exquirit Sanctitas Vestra, super Canonizatione Beati Thomæ de Villanoua, Valentiæ Archiepiscopi. Ego, qua decet reuerentia, vtar responso diuino Domini Nostri Iesu Christi. Infirmi sanantur, leprosi mundantur, paralytici surgunt, claudi ambulant, mortui resurgunt, pauperes mirabiliter saturantur, & non est, qui sit scandalizatus in eo. Si honor iudicium diligit, ex sententia Regij Prophetæ, & in Beatum Thomam tot sapientissimorum Patrum purpuratorum, & Præsulum concurrunt suffragia, quis non dicat, eum hoc honore dignissimum? Quid ni? Adhuc viuens in terris dupliciter Beatus extitit, quia scilicet intellexit super egenum, & pauperem, & quia fuit pauper spiritu, dicente Domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Cur nunc gloriosus regnans in cœlo, non erit inter Sanctos connumerandus in terris? Illum sine dubio reddunt admirabilem, amor in pauperes, odium sui, & eximiarum virtutum cumulus, miraculorum gloria. Cedet

sanè in vniuersale Ecclesiæ Catholicæ bonum, & in Sanctitatis Vestræ gloriam sempiternam, honor huiusmodi in hunc Beatum collatus. Quibus ego permotus, in eam compellòr ire sententiam, vt eum valde dignum existimem, quem Beatitudo Vestra Sanctis in Cœlo regnantibus adscribat, colendum in terris.

Franciscus Tontulus Episcopus Isclanus.

ABundante nequitia, dum in hoc mundi senio pietas refrigescit, opportunè accidet, Beatissime Pater, vt Sanctitas Vestra frigidis fidelibus venerandum proponat exemplar feruentissimæ charitatis, & inuictæ fortitudinis Antistitem, qui in militanti Ecclesia bonum certamen certauit, triumphanti Cœlituum numero adscribat; vt inde sanctissimi Præsulis merita, & præclara virtutum exempla considerantes, habeant oues quem sequantur, Pastores quem imitentur.

Patritius Donatus Episcopus olim Minoren.

BEatissime Pater: Quemadmodum in Cœlo noua paulatim Astrorum phænomena apparent, quò mortales ad cœlestia diligentius indaganda excitentur; ita par est in Ecclesia, quæ Cœlum repræsentat, noua Sanctorum lumina in dies effulgescere, & innotescere, vt fideles ad sanctitatis gloriam, sibi sedulò parandam inflammentur; præsertim Episcopi, quorum vti dignitas, ita exemplum est Ecclesiæ munimentum. Itaquè meritò Sanctitas Vestra in Sanctorum numerum referet, omnibusque venerandum simul, ac imitandum proponet Beatum Thomam à Villanoua, ex Diui Augustini familia Archiepiscopum Valentinum, qui more splendidissimi syderis illuxit; siue miracula spectentur, siue virtutes; ac in primis religio, & humilitas in colendo Deo; prudentia, & iustitia in grege pascendo, constantia, & continentia in se ipso moderando, patientia in malis tolerandis: Quarum tamen virtutũ maxima & verè admirabilis fuit Charitas in pauperibus, hoc est interiore Christi familia subleuanda. Et cõstantissimè teneo, quod omnipotentis Dei consilio factum sit, vt tantæ sanctitatis promulgatio præcipuè pertineat ad Beatitudi-

nem

nem Vestram, cuius Pontificatus primarium arcanum est, consulere Christi pauperibus, tanquam solidissimis Ecclesiæ Catholicæ fundamentis.

Marcus Antonius Thomatus Episcopus Biteĉteñ.

IVstum est, tuoquè dignum Pontificatu, Pater Sanctissime, vt Beatum Thomam à Villanoua Archiepiscopum Valentinum pro tradita tibi potestate Cœlitum albo adscribas, vt eius gloriam nunciet Ecclesia, cuius laudes vnanimi consensu omnes populi enarrant. Admiranda siquidem in eo humilitas fuit, ardentissima erga Deum charitas, inexhausta in elargiendis eleemosynis profusio, indefessa Pastoralis solicitudinis vigilantia, constantissima sanctimoniæ fama ad hunc vsque diem per integrum sæculum propagata, crebrisquè,& exploratissimis miraculis comprobata. Tanto igitur Antistiti Sanctorum honorem decernens, rem facies, Beatissime Pater, toto Orbi Christiano gloriosam, & horum temporum necessitatibus maximè opportunam, vt qui in diebus suis placuit Deo, fiat nunc pro populo Dei reconciliatio.

Carolus de Vecchijs Episcopus Clusinus Sacr. Concilij Congregationis à Secretis.

ADmonet me proprij muneris ratio, Beatissime Pater, vt ad cœlestes honores Beato Thomæ Archiepiscopo Valentiæ decernendos, suffragium aliunde, quàm ex Tridentino Concilio deriuatum non feram. Inchoatam ille Tridentinam Synodum, non absolutam vidit. Absolutam tamen optimi Pastoris formam, priusquam Tridentini Patres sancirent verbis, Thomas firmauit exemplo, & anticipata executione decreta Patrum præoccupauit, & vota. Meritò igitur Sanctorum Concilio adscribendus est ille, qui Apostolicæ Reformationis Concilium priusquam absolueretur, in se absoluit.

Carolus Azzolinus Episcopus olim Balneoregieñ.

BEatissimè Pater: Vidimus in eximia Beati Thomæ charitate quomodo bonus Pastor operetur. Expedit, vt in Ecclesiæ totius exemplum videamus etiam, quomodo coronetur: ideò & proficuum, & opportunum reor, authoritate Apostolica Beatum Thomam referri in Sanctorum numerum, vt cuius bona reposita sunt in Domino, eleemosynas illius enarret, atque imitetur omnis Ecclesia Sanctorum.

Ferdinandus Apicella Episcopus Larineñ.

QVia Beatus Thomas de Villanoua, ob totinclytas eius virtutes, in diebus suis placuit Deo, & inuentus est Iustus, pietatemquè vbique plantando, vitia auulsit, & inter Deum, & hominem in tempore iracundiæ, factus est reconciliatio; Ideò iure iurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Meritò igitur Sanctitas Vestra, Domini iuramentum exequendo, eundem in Sanctorum numero collocare meditatur. Idque ego æquissimum iudico.

Thomas Lollius Episcopus Cirenæ.

PErfectionem Patris nostri Cœlestis, Beatissime Pater, æmulatus fuit in multis Beatus Thomas de Villanoua Archiepiscopus Valentiæ ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini, & præsertim in hoc, quòd misericordia eius super omnia opera eius; nam sicut in Sancto Iob, ab infantia creuit miseratio, & de vtero Matris suæ egressa est cum eodem; ita B. Thomas, ab ineunte pueritia intellexit super egenum, & pauperem. Quare cum possideat Regnum viris misericordiæ paratum; posse illum censeo à Sanctitate Vestra referri inter Sanctos.

Flaminius Marcellinus Episcopus Cesenæ.

CHristus assistens Pontifex futurorum bonorum sciscitanti cuidam, quidboni faciendum sibi esset, vt vita frueretur æterna; respondit, seruanda esse mandata: Ei autem affirmanti, hæc se custodisse à iuuentute sua, protinus dixit: si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me. Petro insuper, qui iam cuncta reliquerat, & ipsum fuerat secutus; ad vberiorem afferti amoris significationem, oues proprio nuper sanguine redemptas, tanquam Pastorum Princeps, pascendas iterum, ac tertiò commisit. Quæ omnia Beatum Thomam de Villanoua præstitisse cùm pro comperto habeatur: haud dubium mihi videtur, Beatissime Pater, quin ille per Sanctitatem Vestram, quæ Christi Domini vices gerit in terris, Sanctorum numero sit adscribendus; maximè verò cum Serui sui sanctimoniam, multiplici miraculorum operatione, omnipotens Dominus testatam voluerit.

Franciscus Gherius Episcopus Ceruiæ.

VEnerabilem Virum Thomam de Villanoua, iam antè annos quadraginta à sanctæ memoriæ Paulo Quinto titulo Beati insignitum, iure optimo nunc æquum mihi videtur, vt publico Ecclesiæ, hoc est tuo, Pater Sancte, iudicio definiatur, feliciter inter sanctos regnare cum Christo: qui luminis Ecclesiæ Augustini instituta, moresquè secutus est: qui ad Episcopatum vocatus fuit, tanquam Aaron: qui domui, & ouibus suis non tam præfuit, quam profuit, eas alendo, nutriendo, doctrina, verbo, exemplo, & operibus misericordiæ, vt verè de eo dici possit: fuit laudabilis, quia irreprehensibilis: se custodiuit ab hoc sæculo: non abijt post aurum, nec sperauit in pecuniæ thesauris; sed dispersit omnia, dedit pauperibus, nudus reuersus illuc, vbi iustitia illius manet in sæculũ sęculi, fruens promissis per Deum à constitutione mundi viris misericordiæ: qui miraculis ante, & post transmigrationẽ claruit deniq. Decet igitur

tur, illi decerni sacros honores, vt posita tam præclara lucerna super Candelabrum, tum Regularis, à quo prodijt, tum Episcopalis Ordo, in quo emicuit, magis magisquè illustretur; cætera quoquè plebs Christi, proficiens de exemplis virtutum illius, in rectam salutis semitam dirigatur, tota lætetur Ecclesia cum nobili turba Sanctorum in die Canonizationis, & Respublica Christiana, noui huius Patroni meritis, in tot calamitatibus aliquando respiret.

Marcus Antonius Oddus Episcopus Hierapolitanus.

BEatus Thomas à Villanoua virtutum splendore, & Spiritus Sancti flamma coruscans, tanquam lucerna ardens charitate, ac lucens exemplo, iure optimo meretur, Beatissimè Pater, non amplius detineri sub modio, sed in sublimi Ecclesiæ Candelabro poni, vt cœlestibus consecratus honoribus, luceat omnibus, qui in domo Dei sunt.

Augustinus de Bellis Episcopus Soranus.

TOt Sanctitatis monumenta, quæ de Beato Thoma de Villanoua, Cœlo teste, nuper accepimus; tot, inquam, illustrium miraculorum spectacula; tam ingens virtutum heroicarum seges; fidelium omnium in illum cultus; sacræ Rituum Congregationis solertia in his omnibus expendendis: supremi tandem Pastoris vigilantia, in his elimpidandis, testatum faciunt, inter Cœlites illum fixisse sedem: Censeo igitur in Sanctorum numerum à Sanctitate Vestra referri posse.

Bernardinus de Aragona Episcopus Bouen.

OB præclaras virtutes, ardentemquè in Deum, & in proximum charitatem, vt ex his, quæ de eius sanctitatis fama,

ma, & processu, & Relationibus Eminentissimorum Patrum, audiui, Beatus Thomas de Villanoua, Valentiæ Archiepiscopus dignus videtur, qui in numero Sanctorum in cœlesti Regno degentium referatur.

Ioannes Baptista Repuccius Episcopus Viciequensis.

BEatum Thomam Sacris aris, Apostolicæ Sedis decreto, admouendum, suadent præclara eius gesta, & miracula publicis documentis legitimè comprobata: & quidem, tantum hoc sydus in Ecclesia emicare. S. V. beneficio optandum existimo, vt ij potissimùm, qui Episcopale munus suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ieque non ad commoda, non ad diuitias, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos aduertant; in coquè liceat illis propiùs intueri, Ecclesiasticæ pecuniæ vsum ad pietatem sibi tantummodò demandatum: Merita igitur, & virtutes amplissimi Viri exposcunt, vt ei publici honores decernantur, in quibus Dei gloria renouetur, & augeatur, & in splendoribus Sanctorum elucescat Pastoribus Israel Diuina virtus, in firmamentum Ecclesiæ.

Fr. Philippus Vicecomes Episcopus Catsacensis.

BEatiss. Pater. Heroica virtus ab amore dicta, per quã, solemni ritu Seruus Dei B. Thomas in albũ Sanctorum referendus est, in eo miro modo fulsit; nam Charitas, teste Apostolo, non quærit, quæ sua sunt sed quæ Iesu Christi. B. Thomas non quæsiuit, quæ sua sunt. A pueritia, quia crescente secum miseratione, vestes, & alimenta sua pauperibus erogauit. Ab adolescentia, quia septemdecim annos natus propriam domum cum toto patrimonio in fundationem cœnobij Virginum contulit. A Iuuentute, quia relicto sæculo, Religionem S. P. Augustini ingressus est. A virilitate, quia Granatensem Archie-

Archiepiſcopatum recuſauit, & Valentinum ex obedientia ſuſcepit. A ſenectute: quia Archiepiſcopus factus, viginti quatuor millia aureorum quotannis, excepta pecunia, & tritico diuinitus aucto, nec retento lectulo, in quo iam iam moriturus iacebat, egenis diſtribuit. Quæſiuit autem quæ ſunt Ieſu Chriſti: quia ſalutem animarum, quæ Dei ſunt, vigilantiſſimè conquiſiuit. Operarios miſit ad Indos: Concilio Tridentino etiam abſens profuit: Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituit. Prædicatione, ieiunio, oratione, proprioquè effuſo ſanguine, animas Deo lucrari ſategit. Delicta Eccleſiaſticorum in ſe puniens, & ſemetipſum pro illis hoſtiam Deo offerens, ſuo cruore emendauit. Tantoquè amore in Deum exarſit, vt aliquando per duodecim horas in eſtaſi conuerſaretur in cœlis; vnde conſueuerat dicere: Anima mea renuncia libertati: vertito in naturam, vt toto pondere properes in Deum tuum: Ex quo tanquam carbo ignitus, lucerna ardens, cereus accenſus, in Dei amore totus conſumptus eſt. Quare cenſeo, tutò poſſe à Sanctitate Veſtra inter Cœlites ſolemni ritu numerari. Idque cedet in maximam Dei gloriam: in Ordinis Epiſcopalis ornamentum: in Religionis Auguſtinianæ ſingulare beneficium: in totius Eccleſiæ ædificationem: Principum Chriſtianorum pacem: & quam peperit Canonizatio Sancti Nicolai ſub Eugenio, dabit Canonizatio Sancti Thomæ ſub Alexandro.

Tiburtius Bolina Epiſcopus Iſernien.

Beatiſſime Pater. Paſtor bonus ille Thomas à Villanoua humilis & pauper, diues Cœlum ingreſſus eſt: quia perpingues reditus Eccleſiæ ſuæ Valentinæ, quos patrimonium pauperum appellabat, in cœleſtes theſauros manus eorum deportauerunt: vnde adhoc tanta charitate inflammatus ſemper vixit, vt cuidam pauperi lectulum, in quo iam iam animam Deo daturum ſe ſperabat, alacritèr ſit elargitus: qua re delectatus Deus voluit, tàm amplianda annona, quàm alijs huiuſcemodi prodigioſis ſignis, Sanctitati Veſtræ argumentum præbere, vt illum Sanctorum numero adſcriberet, ſicuti ſupplex deprecor adſcribi, cum Chriſti Domini Noſtri paupertatem tàm enixè ſit

imit-

imitatus, vt æquè nascens, viuens, ac moriens, nuditatem illius visus sit adamare.

Ioseph Battaglia Episcopus Montis Marani.

BEatam Patrem Thomam de Villanoua Archiepiscopum Valentiæ, dignum censeo, qui ad maiorem Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, in Sanctorum numero referatur, quia virtutes coluit omnes in gradu heroico, & præcipuè gloriosum se reddidit in pastorali solicitudine: miraculis claruit, & ipse maximum miraculum fuit.

Alexander Ægyptius Episcopus Andriensis.

EXimia virtutum cunctarum laude Beatus Thomas à Villanoua cumulatus, Beatissime Pater, ad subsidia pauperum profusus, ad animarum lucra peruigil, constantia in improbos, in probos clementia, moderatione sui, coniunctione cum Deo, veram Præsulis & sanctitatem, & gloriam est assecutus. Opportunum itaquè ad Antistitum ornatum, ac incitamentum existimauerim, vt S. V. suo, quo Deus loquitur, ore, Virum hunc omni virtutum complexione spectabilem, Sanctorum fastis adscriptum asserat Cœlo.

Franciscus Densa Episcopus S. Seueri.

CVm, Beatissime Pater, sanctitatis, & virtutum omnium fundamentum sit sui ipsius abnegatio, & voluntatis vnio cum Deo per dilectionem ipsius, & perfectam charitatem in proximum, ex quibus oritur humanarum rerum contemptus, in secundis moderatio, in aduersis patientia, in afflictos commiseratio, in pauperes ardens amor, & deniquè perfectissima, verissimaquè iustitia, quæ operatur magna, & reputat parua, operatur multa, & reputat pauca, operatur diù, & reputat breue; Cũq.

omnia hæc in Beato Antistite nostro Valentino non oscitanter, nec perfunctoriè, sed perfectissimè in vita, & post mortem pręfulserint, vt per probationes, atque irrefragabiles testes deponentes de excellenti Beati Thomæ fide, insigni spe, charitate feruenti, admirabili humilitate, castitate, prudentia, fortitudine, & temperantia, necnon de pluribus miraculis, tàm ipso viuente, quàm mortuo editis, quæ omnia Sacra Rota, & Sacra Rituum Congregatio pluries firmauit: Meritò Beatum Thomam omnium virtutum laude cumulatissimum humillimè, & reuerenter, inter Sanctorum Confessorum Pontificum agmen, præuio Canonizationis decreto, referri posse, iudico, & subscribo; gratias perennes, & immortales Deo, & S. V. agendo, quòd exemplum Regularibus, Sacerdotibus, & nostro Episcoporum Choro, sicuti omnibus etiam Christi fidelibus proposuerit.

Fr. Henricus Burgeñ Episcopus Aliphanus.

BEatissime Pater. Verè, vt nomen sonat, abissus fuit, ac didimus, idest gemellus Beatus Thomas de Villanoua; gemellus miserationis, quæ cum ipso de vtero matris egressa, ab infantia creuit: abissus abissum inuocans; Thomæ enim Apostoli solicitudinem in inquirendis, Angelici puritatem in edocendis, Cantuariensis constantiam in defendendis his, quæ ad Deum, eiusquè Ecclesiam pertinent æmulatus; meritò, visionem, quam Thomas expectabat Apostolus, & mercedem quam Thomas expectabat Angelicus, creditur consecutus, & dignus, qui, vt olim Cantuariensis ab Alexandro III. multis clarus miraculis, à septimo eiusdem nominis, & Patriæ, vices Dei gerente in terris, proclametur factus in Cœlo consors Charitatis, quæ nunquam excidit; Dei scilicet: nam Deus charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Fran-

Franciscus Cribarius Episcopus Nicotereñ.

DIgnum censeo Beatum Antistitem de Villanoua, qui Sanctorum fastis adscribatur, propter eius praeclara gesta, quae etiam à teneris annis perfectam redoluerunt Sanctitatẽ, mirificauit enim eum Dominus praecipuè in hospitalitate, qui, vt abundantiùs diuitias Coelo conderet, alienam inopiam suam credidit, docens, facilius nos, per manus pauperum ad Coelestia Regna peruenire.

Fr. Benedictus Roccius Episcopus Nuscanus.

SAnctissime Pater. Beatum Thomam de Villanoua Ordinis Augustiniani decus, Episcoporum gloriam praemio Sanctorum iam fruentem in Coelis, ob vitam Sanctissimè actam in Terris, titulo Sanctitatis dignum censeo.

Vincentius Reuiglionus Episcopus Bouinensis.

BEatum Thomam de Villanoua solemni Ritu Coelitum numero adscribi, Beatissime Pater, iustissimum arbitror, quem omnium virtutum suffragia, mortalium numero exemptum, viuum adhuc Coelo asseruerunt. Verùm enim planè Coelestem illum extitisse, necesse est, cui perpetuis suis ieiunijs, pauperum famem alenti omni naturae prauitate coercita, pro alimento fuit illibatae sapor integritatis, pro anima Sanctitas, pro vita Deus. Nullius igitur S. V. dubitandi superest locus, an illum addat albo Diuorum, qui, suis moribus, de se ipso, sententiam pronunciauit; quam Coelum se approbare nos docuit, cum aut paralysi detentis, aut febri, aut multiplici morbo lecto defixis, vitam reddidit, & pedum officium, vt Thomae Sanctitatem miraculis testaretur.

Simon Rauus Episcopus Pacten.

IN grauissimo iudicio, Sanctissime Pater, in quo Orbis Christianus votis omnium à Te vno supremum exposcit oraculum de Beato Thoma à Villanoua inter Diuos colendo, non mihi videor suffragator modò, sed precator etiam, ac testis accedere; sensi etenim ego ipse, cum non ita pridem Valentiæ Beati Præsulis exuuias venerarer, arcanum nescio quid, adorandam referens sanctitatem: hoc mihi iam tum contestabantur apertè anathemata in Templis suspensa, deuotæ circum tabellæ recitantes prodigia, erogatæ etiam è Cœlo beneficentiæ, insculpta cordibus fidelium pietas, mirificans Sanctum Domini, ac tandem Apostolici Antistitis simulachrum, in suis libris adhuc Diuina docentis: quæ omnia tàm ritè explorata perspicio, vt adeò gratuler, Coepiscopi nostri posse iam tutò Sanctitatis Titulum ei deferri suffragijs, qui sanctitatem Episcopatus Ordini intulit, copia meritorum; Non enim deficit vir de stirpe, & de Apostolorum familia Apostolica virtus; quam dum ipse docendo, & faciendo excoluit, verè Episcopus in vtroquè, maior ideò in Regno Cœlorum vocatus, æquum est, vt maiori cultu laudem eius annunciet Ecclesia; quæ sapientiam, & eleemosynas eius enarrat. Post aurum enim non abiens, expeditiùs abijt post illud, quod per manus pauperum præmisit ad Cœlum; vbi in hæreditate Domini moratur copiosæ sanctitatis hæres, quæ velut ex vtero cum illo egressa, ita ab infantia creuit, & per omnem ætatem fide seruata cursum consummauit, vt vbicumquè vita deficeret, corona Iustitiæ non deesset, quam iure eum inter Sanctos mereri censeo, fateorquè dignum, *cui gloria fastis crescat, & æternis nectatur adorea sertis.*

Octauius Roncionus Episcopus Ferentini.

CVm inter innumeras Beati Thomæ de Villanoua virtutes, tàquàm minora sydera feruidissimus charitatis Sol in Christi pauperes refulserit; nil mirum, si inter Cœlites promissa æterni-

ternitate donatus, ex ipsa miraculorum narratione cunctis appareat. Idcirco, concordibus votis in hoc sacrosancto conuentu promulgatis omnium minimus accedo.

Carolus Philippus Meius Episcopus Bisignañ.

BEatiss. Pater; Si Thomas abissum sonat,& abissus abissũ inuocat, non incongruè dixerim, Beatũ Thomam de Villanoua abissum inuocasse omnium virtutum; abissum,inquam,inconcussæ fidei, ardentissimæ charitatis in Deum, beneficentiæ in pauperes, asperitatis vitæ, nunquam violati candoris, & vt cætera eius vitæ mirabilia reticeam,miraculorum præstantiæ. Quarè sanctitatis abissum meritò appellari posse, constantissimè credo, nullumquè dubitationis locum Sanctitati Vestræ relinqui, quin illi meritos sanctitatis honores decernat, eumquè vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ venerandum proponat.

Omnium sententijs auditis, proximè exaranda Sanctissimus addidit.

Perceptis, Veñ. Fratres, Vestrum omnium sententijs, cum omnes eò tendere videamus, quò mens nostra, post diuturnam reì meditationem, collineabat: diem Canonizationis indicimus, primam Nouembris. Vos interim, ieiunijs, orationibus, eleemosynis humiliter flagitate à Deo, significare nobis dignetur omnis boni rectique Regulam, Voluntatem suam, vt secundùm eam, sicut in omnibus alijs rebus, ita in hac potissimum progrediamur.

Stantibus interim Prælatis, & sedentibus Cardinalibus: Procurator Generalis Cameræ Apostolicæ, his verbis Prothonotarios est allocutus.

Ego Iustinus Gentilis Sanctissimi Domini Nostri, & Cameræ Apostolicæ Procurator Generalis, rogo vos omnes Prothonotarios, & Notarios Apostolicos hic præsentes, vt de sententijs, consilio, & vnanimi consensu Reuerendissimo-

rum

rum DD. S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarchæ, Archiepiscoporum, & Episcoporum, dequè Summi Pontificis oratione, ac deliberatione præhabitis, super solemni Canonizatione B. Thomæ de Villanoua, vnum, vel plura, publicum, seù publica conficiatis Instrumentum, vel Instrumenta, ad perpetuam rei memoriam.

Et R. P. D. Manfronus Decanus Prothonotariorũ Apostolicorũ, sui Collegij nomine, nos qui propè Sedem Sanctissimi stantes reperiebamur, actorum eorumdem testes adhibuit hisce verbis. Vobis testibus. Et hinc negocium planè Diuinum finem accepit: Sanctissimus itaquè ad cubiculum paramentorum, vulgò dictum, reuersus est, & Sacra indumenta dimisit.

Omnia demùm Hispanorum sumptibus parata reperit Sanctissimus, quæ ipse ad solemnia Canonizationis agenda opportuna putaueram, quæquè construi præceperam, cum è Castro Gandulpho, quò circa mensis Octobris initium sanctitas sua recreandi animi gratia sese contulerat, ad Vrbem remigrasset. Basilica enim Vaticana vndiquè exornata, solium, sedilia, suggesta, & septa omnia constructa, & compta, necnon solemnia Canonizationis indicta fuerant.

Die 30. eiusdem mensis Octobris D. Gaspar de Sobremont Catholicæ Maiestatis in Romana Curia Minister, ingenti cum Comitatu ad Palatium Quirinale contendit, ac Sanctissimo supplicem Hispaniarum Regis Epistolam præsentauit.

Quare è more peractis in Quirinali Cappella die vltima eiusdem mensis Vesperis omnium Sanctorum.

Sequenti mane prima Nouembris 1658. nedum lucescente die, Sanctissimus ad Basilicam Vaticanam se recepit, quæ elegantiùs, quò tunc exornata, præterito tempore nnmquam visa est.

Siquidem illa peristromatis, & procera Beati Imagine, necnon gentilitijs insignijs Summi Pontificis, Maiestatis Catholicæ, Regni Valentiæ, & Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, faciem speciosissimam præseferebat.

Porticus eiusdem pariter attalicis auleis, vtpotè ijs, quæ auri sarcina nil vilius deferunt, tantum illa Raphaelis lineæ in pretium extollunt, apprimè decoratus erat: Portæ tum mediæ, cum lateralium ingressuum tribus ingentibus Beati Iconis, ac genti-

gentilitijs prædictorum insignijs ditatæ, nihil ab architecturæ gratia alienum continebant.

Intrinsecùs verò Basilicæ apparatus quantùm fluxa, & inania sæculi, imaginem Paradisi mortalium oculis anteferre possunt nedùm attingebat, fortassis plurimùm transgrediebatur: Supercilia enim portarum magna Beati effigie, ac Insignijs Regni Valentiæ, & Ordinis Sancti Augustini non vulgari ornatus pondere premebantur.

Parastatas holoserica damascena, & villosa purpureo imbuta colore, auroquè ditissimè perfusa tegebant: & in earum fronte totidem, viginti scilicèt gentilitia stemmata, & amplissima insignia Summi Pontificis, & Maiestatis Catholicæ, aureis ditata lineis eminebant.

Fornicibus maioribus quatuordecim picta numismata (quorum singula erant ambitus cubitorum triginta) auro exornatissima è summitate pendula magnificentissimum augebant ornatum, & in his miracula Beati intercessione patrata, docta Artificis manu, expressa cernebantur, quæ concisa descriptione caracteribus repetita plurimùm oblectabant.

Altaria singula sex ardentibus facibus desuper irradiata, & in fronte propemodum compta erant pallijs, auro non minus onustis, quàm linearum perfecta distinctione, inconsutili opere, nec vulgari sumptu, contextis, cum Insignijs Sanctissimi, Regijsquè, & Ordinis Sancti Augustini, quæ & oculos, mentem, animum, & cogitationes adstantium in considerationem sumptus adeò magnifici conuertebant, ac admirationem.

Beatorum Apostolorum corpora luce affluentius nunquàm perfusa sunt; vndiquè enim lampades, vbiquè faces ardebant.

Maioribus in coronis, vastissimum Templum eminus sepientibus, media quarum spatia sericeis auro exornatis peristromatis operta erant, octingentorum cereorum flammæ, veluti gemmæ coruscabant.

Hinc indè maioris Hæmispherij Parastatæ peristromatis ditissimis obducebantur, & Beati Thomæ ab Angelis in Cœlum assumpti quatuor ingentibus Iconis sericeis, auroque ornatæ affabrè pictis exornabantur.

Maiora

Maiora sub Hæmispherio loculamenta, in quibus Sanctissimæ Reliquiæ asseruantur, & Coronæ Altarium lateralium, facibus ardentibus emicabant; Tres verò mediæ Absidarum fenestræ lumine orbatæ luce magis perfundebantur, tribus itidem Beati Thomæ imaginibus collustratæ.

Ipsum deniquè Hæmispherium præ consueto splendore, bisecentum facium luce effulgebat, adeout vel Templum Cœlum dixisses, vel Hæmisphærium ad Cœlum iter esse asserere non hæsitasses.

Sanctissimus recta via ad cubiculum sacrarij Pontificij contiguum Cappellæ Sixtinæ delatus est, vbi induit faldam, amictum, albam, cingulum, stolam, pluuiale albi coloris, & Thiaram; quò interim in Cappella Sixtina per Cæremoniarum Magistros fuerunt distributi cerei, ijquè per Clericos Cappellæ accensi, singulis Cardinalibus, Prælatis, officialibus, & familiaribus Papæ. Sanctissimus verò Sacris indutus è manibus Cardinalis Columnæ Procuratoris Canonizationis accepit tres cereos, duos videlicèt maiores Insignijs Sanctitatis suæ, & Catholicæ Maiestatis ornatos, quos deferendos dimisit Oratori Veneto, & D. Mario Chisio S. Sanctitatis fratri germano, & tertium tradi iussit Præfecto cubiculi suæmet Sanctitatis. Mox nauiculam ministrante eodē Cardinale Columna vti seniore Presbytero, thus posuit in thuribulum, & salutata Cruce præeuntibus Accolyto Thuripherario, alijs septem Accolythis cum septem candelabris, Cruce delata à Subdiacono Apostolico Sac. Rotæ Auditore Epistolam cantaturo, & duobus Principibus magnos cereos deferentibus Sāctitas Sua media inter Cardinales Diaconos Assistentes pedès ad Cappellā Sixtinā accessit, sustinentibus fimbrias anteriores duobus Auditoribus Rotæ, & posteriores Cubicularijs assistentibus. Statim ac peruenisset Sanctissimus ad faldistorium genuflexus orauit, successiuè assurrexit, & stans allatis ad Sanctitatem suam libro, & candela per Episcopos Assistentes, adiuuante ad librum seniore Episcopo Cardinale Barberino, cecinit initiū hymni. *Aue Maris stella*, & illicò genuflexus, ita ad integrā stropham permansit; deinde sedem gestatoriam conscendit, & mitra redimitus dextra benedicens populo, sinistra gestans paruam candelam accensam, in eadem sede delatus est sub Baldachino ad Basilicam

Vati-

Vaticanam per Plateam maiorem vſquè ad obeliſcum, præeunte vtroquè Clero, qui per viam hinc indè diſpoſitus ſtationes egit vſquequò Sanctiſſimus cum Officialibus Cappellæ, familiaribus, Prælatis, Cruce, Pœnitentiarijs, Epiſcopis, Cardinalibus & Principibus ſolij deferentibus magnos cereos, Baſilicam ingreſſus eſſet, in qua Sanctitas ſua ante Altaria Venerabilis Sacramenti, & Apoſtolorum de more preces effudit, mox ſolium magnum aſcendit, & excepit Cardinales, Epiſcopos, Abbates, & Pœnitentiarios ſacris veſtibus indutos ad obedientiam; Cardinales, videlicet, ad oſculum manus, Epiſcopos ad oſculum genu, Abbates, & Pœnitentiarios ad oſculum pedis.

Subindè acceſſit ad ſolium Cardinalis Barberinus ſenior Epiſcopus, & ſedit ſuper nudum faldiſtorium in dextero ſolij latere, & Cæremoniarum Magiſter Carolus Vincentius Carcaraſius ante ſolij gradus duxit Eminentiſſimum D. Cardinalem Columnam Protectorem Regni Aragoniæ, & Valentiæ, à Maieſtate Catholica deputatum, vt eius nomine Sanctiſſimo ſupplicaret de Canonizatione B. Thomæ, qui habens à dextris Aduocatum Conſiſtorialem Marcum Antonium Burattum, & à ſiniſtris Cæremoniarum Magiſtrum genuflexos, ſtans profunda capitis inclinatione Pontificem adorauit: Aduocatus verò genuflexus adhuc, his verbis primò inſtitit.

Beatiſsime Pater.

Reuerendiſſimus D. Cardinalis Columna hìc præſens nomine Catholicæ Maieſtatis Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis inſtanter petit per Sanctitatem Veſtram Catalogo Sanctorum Domini Noſtri Ieſu Chriſti adſcribi, & tanquàm Sanctum ab omnibus Chriſti fidelibus, pronunciari, venerandum Beatum Thomam de Villanoua Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Archiepiſcopum Valentinum.

Cui Reuerendiſſimus Nerlius Breuium Principumà ſecretis, ſtans in ſiniſtro latere Solij Pontificij, in hæc verba reſpondit:

Ingentes Diuinæ Clementiæ grates Sanctiſsimus Dominus

Noster agit, quod hac solemni die, qua veteri maiorum instituto *laudamus viros gloriosos, & Parētes nostros in generatione sua*, possimus etiam inclytum *eorum semen*, *benedictiones*, *& hæreditatem sanctam* in homine nostræ propemodum ætatis spectatè refulgentem admirari, et (si tribuerit Dominus) iisdem Cœlestium honorum religionibus, & Cæremoniis iure, & ex meritò colere. Nam profectò in Beato Thoma Archiepiscopo Valentino, absque vlla prorsùs exceptione antiquis Patribus pari, si vnquam in alio, *Ipsorum pietates non defuerunt*, *semen eorum in testamentis stetit*, *bona permanent*, *& gloria vsquè in æternum non derelinquetur*. Cæterum Beatas Sanctorum mentes Magnæ, Regaliquè illi Nuptiarum Agni Cœnæ feliciter accubantes, etsi *benedictionibus dulcedinis inebrians vbertas Domus Dei* complet, & largus *Diuinæ voluptatis Torrens inundat*, tamen ex rerum quoquè nostrarum directis in Deum rationibus, aliquid sanè iucunditatis, & gaudij superfluenti cumulo accedit, & nonnullus est, qui blandiente Charitate, cœlestes, ac beatos Spiritus attingat in suis laudibus religiosi studij, & piæ venerationis nostræ sensus, & amor. Propitijs igitur, ac fauentibus ijs, quorum augendo numero, & cultui solemnia hæc sacra celebrantur supplex ante corpora Apostolorum Apostolicus Senatus, & populus vniuersus iam procumbat, *& adoret*, *ac roget Deum Excelsum in prece vsque dùm perfectus sit honor Domini*, *& munus hoc suum Altissimus ipse perficiat*. Ita fieri, & me respondere iubet Sanctissimus Dominus Noster cùm publicis votis, tùm precipuè pijs Catholici Regis, & Ordinis Augustiniani postulatis clementer indulgens.

Post hæc Sanctissimus è solio ad faldistorium accessit ibidem genuflexo cum mitra, Cantores [illegible] Sanctorum, quibus absolutis, Sanctitas [illegible] cundò instit Aduocatus præsenti[illegible] lumna, & Cæremoni[illegible]

Eca-

Beatissime Pater.

Reuerendiss. Dominus Card. Columna hic præsens nomine Catholicæ Maiestatis Philippi Quarti Hispaniarum Regis instanter, & instantius petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri Iesu Christi adscribi, & tanquam Sanctum ab omnibus Christi fidelibus, pronunciari venerandum Beatum Thomam de Villanoua Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Archiepiscopum Valentinum.

Et Reuerendissimus Nerlius tunc ita respondit.

Quò Spiritus Sancti lumen in causa longè grauissima clariùs adhuc elucescat, nondum intermittendas esse preces Sanctissimus Dominus Noster existimat, sed ex omni corde iterùm *effundendam in fundamento Altaris odorem diuinum Excelso Principi.*

Rursus autem Sanctissimus ad faldistorium descendit, super quo genuflexit cum mitra, & Diaconus Cardinalis à dextris alta voce dixit *Orate*, tunc Sanctissimus mitram dimisit, cumque paululum omnes orassent, dicente Diacono Cardinale à sinistris, *Leuate*, Sanctitas Sua surrexit, & stans prope faldistorium allatis ad Sanctitatem Suam libro, & candela per Episcopos Assistentes, ac adiuuante Seniore Episcopo Cardinale cecinit initium hymni. *Veni creator spiritus*, & illicò genuflexus ita ad integram stropham permansit, mox accepta mitra ad solium reuersus est, vbi detecto capite, stetit vsquè ad finem hymni: & cantato per [illegible]tores versu: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, alijsque [illegible]ndentibus, *Et renouabis faciem terræ*,

San[illegible]a dixit orationem Spiritus Sancti, videlicet. *Deus, qui cord*[illegible]*m &c.* Qua absoluta sedit cum mitra.

Adu[illegible] verò genuflexus, vt supra à dextris Eminentissimi Card[illegible]lumnæ tertiò institit his verbis.

Beatiſsime Pater.

Reuerendiſs. Dominus Card. Columna hic præſens nomine Catholicæ Maieſtatis Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, inſtantèr, inſtantiùs, & inſtantiſſimè petit per Sanctitatem Veſtram Catalogo Sanctorum Domini Noſtri IESV Chriſti adſcribi, & tanquam Sanctum ab omnibus Chriſti fidelibus, pronunciari, venerandum Beatum Thomam de Villanoua, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Archiepiſcopum Valentinum.

Et Reuerendiſs. Nerlius pariter tertiò reſpondit in hæc verba.

Nunc *exclament filij Aaron in tubis productilibus ſonent, & auditam faciant vocem magnam in memoriam coram Deo*; Nam Sanctiſſimus D. N. tempus beneplaciti Domini a duenisse arbitratus, auctoritate Apoſtolica, Beatum Thomam à Villanoua ex Auguſtiniana profeſſione Archiepiſcopum Valentinum Sanctorum Catalogo Confeſſorem Pontificem adſcribit.

Tunc Sanctitas Sua ſedens cum mitra, allatis libro, & candela ab Epiſcopis Aſsiſtentibus, pronunciauit ſententiam Canonizationis, hac vſus forma.



D honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicę, & Chriſtianæ Religionis augmentũ, authoritate Domini Noſtri IESV Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, matura deliberatione præhabita, & Diuina ope ſæpius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſ-

ſcopo-

coporum in Vrbe existentium consilio, Beatum Thomam de Villanoua Archiepiscopum Valentinum Sanctum esse decernimus, & definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus: Statuentes ab Ecclesia vniuersali quolibet anno, die decima octaua Septembris memoriam eius inter Sanctos Confessores Pontifices, pia deuotione recoli debere. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Successiuè Aduocatus acceptauit Canonizationem, Sanctissimo gratias egit, & eidem supplicauit his verbis.

Beatissime Pater.

Idem Reuerendiss. Dominus Card. Columna hic præsens nomine Catholicæ Maiestatis Philippi Quarti Hispaniarum Regis, acceptat pronunciationem à S. V. peractam, eidemque gratias immortales agit, ac enixè supplicat, vt S. V. super Canonizatione eadem litteras Apostolicas dignetur decernere.

Et Sanctissimus respondit. Decernimus.

Aduocatus tandem ad Prothonotarios Apostolicos conuersus, stans, eos sic allocutus est.

Rogantur omnes Prothonotarij, & Notarij hic præsentes, vt super huiusmodi solemnis Canonizationis actu vnum, vel plura, publicum, seù publica Instrumentum, vel Instrumenta conficiant. Ad perpetuam rei memoriam.

Et

Et Eminentiſs. Card. Columna ſolij gradus aſcendit, & manum, ac genu Sanctiſſimi oſculatus, Regio nomine Sanctitati Suæ gratias retulit immortales: Sanctiſſimus verò dimiſſa mitra, aſſurrexit, & adiuuante ad librum Seniore Epiſcopo Cardinale cecinit initium hymni, *Te Deum laudamus*, & vndique tubarum clangor, tympanorum ſtrepitus, æneorũ tormentorũ reboatus, & ſonitus Campanarum omnium Vrbis Eccleſiarũ, nedum Romam ipſam, ſed Cœleſtem Hieruſalem, & Chriſtianum Orbem inenarrabili perfuderunt lætitia. Cœlites enim Conciui iam dudum in Cœlis gloria, tunc demum accidentali honore, ac diademate, coronato in terris, gratulati ſunt. Mortales verò nouum apud Deum interceſſorem ipſis Diuino releuatum oraculo, lætabundi ſuſceperunt.

Et en memoria Iuſti cum ſonitu reuiuixit, nunquam deinde peritura, etenim eleemoſynas illius perenniter enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.

Abſoluto per Cantores hymno prædicto, Diaconus Aſſiſtens à dexteris cecinit verſum.

Ora pro nobis Sancte Thoma.

Et Cantores reſponderunt.

Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Sanctiſſimus autem edocturus plebem ſibi cõmiſſam, vt ad noui interceſſoris auxilium confugiat, primus omnium eius præſidium inuocauit ſequenti prece.

OREMVS.

DEVS, qui BEATVM THOMAM Pontificem inſignis in pauperes miſericordiæ virtute decoraſti, quæſumus, vt eius interceſſione in omnes, qui te deprecantur, diuitias miſericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum &c.

Succeſſiuè Cardinalis Carolus Barberinus Diaconus Euangelium cantaturus, Populi totius nomine ſtans in ſiniſtro cornu ſolij Pontificij confeſsionem cecinit, quæ ſequitur.

Confiteor Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Bea-

Beato Michaeli Archangelo, Beato Ioanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, BEATO THOMÆ, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere; mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa, ideò precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatum Ioannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, BEATVM THOMAM, omnes Sanctos, & te Pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Mox per R.P.D. Albergatum S. Rotæ Auditorem, & Apostolicum Subdiaconum cantaturũ Epistolam, allata Cruce ante solij gradus, Sanctissimus absoluit, & benedixit in cantu, dicens:

Precibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Ioannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, BEATI THOMÆ, & omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam.

Indè accessit Pontifex ad solium paruum, inchoauit Tertias, & induit Vestes Sacrificij, quod solemni more obtulit, additis lythurgiæ consuetæ post Orationes currentes, Orationibus B. Thomæ, scilicet, Prima, quæ superius habetur.

OREMVS.

Deus qui Beatum Thomam Pontificem insignis in paupĕres &c.

SECRETA.

Omnipotens, & misericors Deus da quæsumus, vt sicut merita Beati Thomæ Confessoris tui, atque Pontificis manus pauperum in Cœlum deportauerunt, ita pijs eiusdem precibus ad te nostra deferatur oblatio.

POST-

GEmitus inopiæ nostræ ascendant ad te Domine, vt corporis tui cibo, & sanguinis potu, animarum nostrarum esuries satietur, & sitis: Qui viuis &c.

Necnon acceptis præter consuetum sequentibus oblationibus. Lecto enim versu offertorij, sedit Sanctitas Sua, & mitram induit, mox ad eã accessere tres Seniores, ex vnoquoque ordine Cardinales Sac. Rit. Congregationi Præpositi; Sacchettus Senior Episcopus, Columna Senior Præsbyter, & Costagutus Senior Diaconus, quorum singulos præcedebant duo familiares talari habitu induti, offerenda manibus deferentes, & sequebantur Canonicus Cathedralis Valentiæ, R. Pater Vicarius Generalis Ordinis S. Augustini, & Pater Assistens Hispaniarum, Procurator Causæ Canonizationis. Hi verò singuli Sanctissimo infra enuncianda, Insignijs Pontificijs, & Maiestatis Catholicæ suffulta, ordine quo sequitur obtulerunt, videlicet.

Cardinalis Episcopus duos magnos cereos vndique auratos: Canonicus Cathedralis Valentiæ paruum cereum auratum, & Canistellum continentem par Turturum.

Cardinalis Præsbyter duos magnos Panes vnum argento, alterum auro obductum: R. Pater Vicarius Generalis Ordinis, paruum cereum, & Canistellum continentem par Columbarum.

Cardinalis Diaconus duos cados, vino, & aqua, plenos: Pater Assistens Procurator Causæ alium cereum paruum, & Canistellum, continentem paruas Aues diuersarum specierum.

Et singuli Cardinales traditis oblationibus manum Sanctissimi osculati sunt, reliqui verò pedem: postquam Cardinalis Columna oblationes ex eorum manibus acceptas Pontifici præsentasset.

Tandem cum Sanctissimus in fine Missæ solemniter populo benedixisset, concessit Indulgentias, quas Card. Barberinus Episcopus Assistens publicauit, plenariam scilicet præsentibus, necnon visitantibus quotannis Sepulchrum S. Thomæ, septem annorum, & totidem quadragenarum,

Cano-

Canonizationis solemnijs ritè peractis, Sanctissimus frequèns animo reuoluebat, optabat impensè, vt flamma ignitæ Charitatis Thomæ, super candelabrum tandem ab eo posita, luceret quidem omnibus, qui in Domo Dei, vtpotè in Congregatione fidelium sunt, vt eam scilicèt intuentes verè filij lucis euaderent, & secundùm lucem ambulantes Charitatem induti, illa Authorem Thomam venerarentur, immò Deum, qui charitas est,& ipsum in paupere egenum colerent, & amore debito prosequerentur.

Qua propter imperauit,per Abbreuiatorem de Curia Bullam à Sanctitate Sua, & à Sacro Purpuratorum Senatu subscribendam ocyùs compilari, vt ex ea omnes,tanquàm ex oraculo,veritatem ipsam Sancti eiusdem heroicarum virtutum,Deiquè mirabilium, quæ fecit in Seruo suo satiùs percipiant; Mihi verò vt Abbreuiatori præfato seriem eorum, quæ in litteris prædictis exaranda viderentur,exhiberem.Et ipse Principis imperium pro munere obsecutus, Abbreuiatori paginam iam pridem impressam,& ab Eminentissimo D.Cardinale Sacchetto in Sacro Consistorio relatam,nec non breuiorem Thomæ innocentis vitæ rationem,tenoris vt sequitur à me tandem congestam tradidi.

Thomas à Villanoua Parentis patria appellatus, Fontis plani in Castella è matris vtero cum miseratione simul egressus, ab ineunte ætate præpropera velocitate pietatis, esurientibus escam, nudis operimentum,propria esurie, ac nuditate præstare cœpit. Corpusculum verò suum anticipata castigatione flagellis, & cilicio terens, concupiscentiam carnis,robusto, atque integro sanctitatis vigore calcauit; vt planè in eo tritura sementem, vindemia palmitem, & poma radicem præuenissent. Adultus autem, crescente miseratione cum illo, postquam Compluti in Collegio S. Ildephonsi,in disciplina morum, profectuquè virtutum etiam docentes se facilè superasset, Logicas subindè facultates interpretatus, ac Theologicas disputationes edisserens, audito Parentis obitu, se Cathedræ ornamento, & vtilitate abdicauit; ac integro patrimonio Virginibus alendis addicto, ne secularium strepitu à perfecta cum Deo vnione distraheretur, Augustinianam Eremum petijt,in eaque votis emissis eximioris sanctitatis fundamenta iecit.

Q Tùm

Tùm verò paupertatis beneficio, sumptus in vsus pauperum exhibere non valens, plus sumptibus exhibere cœpit, compensans proprio labore, in spiritualibus procurandis, mercedem diuitijs omnibus cariorem; assiduis enim concionibus, & salutaribus monitis peccatores ad officium reuocare studuit, & pertinaces adhuc orationibus, duris flagellis, & ieiunijs, suo liuore à Deo sanari cum lachrymis impetrabat: & in meditatione assiduus, in oratione perpetuus, in abstinentia exactissimus, in humilitate sublimis, ditissimus in paupertate, vix biennio elapso, Prior Salmantini Cœnobij, in quo susceperat habitum, suffectus est, indequè ad Ordinis munia præstantiora translatus, vbiquè Regularem disciplinam restituit, & Augustinianam Familiam Viris sanctimonia vitæ, & litterarum præstantia insignibus auxit.

Cumquè ætatem omnem à puerilibus exordijs vsq; ad prouectiores annos per Ecclesiasticæ disciplinæ stipendia cucurrisset, eiquè propterea celsioris loci præmium deberetur, Granatensi Ecclesia constantissimè recusata, Valentinam suscipere coactus est, & semper æmulatus charismata meliora, pingues Ecclesiæ reditus, quoad vixit, pauperrimus sibi, profusissima liberalitate, dispersit, dedit pauperibus; Innumeros passus labores, Clerum reformauit: plurimis lacessitus iniurijs, Ecclesiasticam libertatem strenuè defendit. Erectisquè tribus Collegijs Compluti, Oriolæ, & Valentiæ, nè sibi relicto lectulo, vt moreretur in alieno, Sacramentis Ecclesiæ piè expiatus, proferens verba *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, migrauit in Cœlum, sexagesimo octauo suæ ætatis anno, die Natiuitatis Deiparæ, M. D. LV. Eius corpus Valentiæ in Ecclesia Beatæ Mariæ de Succursu sepultum; Ipsequè miraculis clarus, decreto ad eius Natalitia recolenda, decimoquarto Kal. Octobris, ab Alexandro Septimo Sanctorũ Catalogo adscriptus est, Kal. Nouembris MDCLVIII.

Præterea Sanctissimus formulam Indulgentiarum applicandarum sacris Beati Thomæ Imaginibus, inprimi mandauit, quæ præsertim Concionatores hortatus est, vt saltem semel in anno eximiam Sancti Præsulis charitatem encomijs, pro viribus, extollant, eamquè fidelium cordibus instillent, lucrifacturi, quoties id egerint verè pœnitentes confessi, & sacra communione refecti,

cti, Indulgentiam plenariam: Audientes verò septem annos totidemquè Indulgentiarum quadragenas.

Indulgentiam pariter plenariam indulsit interfuturis Processioni, Vexillorum nuncupatæ, à Basilica S. Petri ad Ecclesiam S.Augustini è more celebrandæ, quam Indulgentiam Eminentissimus D.Card.Vicarius, publico Edicto euulgari curauit.

Plenariam itidem Indulgentiam concessit visitantibus Ecclesias Cœnobiorum Fratrum eiusdem Ordinis vbiquè terrarum existentes, infra octauam, præsenti anno, recolendis Canonizationis solemniis, decretam, & litteris Apostolicis in forma Breuis indultam.

Quamobrem publicatis Indulgentijs prædictis.

Die 24. Nouembris in Ecclesia S.Augustini inchoata fuit octidua prælibata solemnitas, & coram Augustissimo Cardinalium Senatu, Episcopalis Missa de Beato Thoma à Reuerendiss. D. Fr.Ambrosio Landuccio Episcopo Porphyriensi, Sacrarij Apostolici Præfecto, celebrata fuit, eaquè absoluta, sermo in eiusdem laudem quàm eleganter, & eruditè à Patre Rhò è Societate Iesu, Viro nunquam satis laudando, peractus est.

Post meridiem verò à Basilica S.Petri ad Ecclesiam S. Augustini solemnis Vexillorum Processio his cæremonijs peracta est.

Religiosi inuitati à Fratribus S.Augustini in Basilica S. Petri hora vigesima conuenere: absolutis autem Vesperis, Cantores Basilicæ cecinerunt Antiphonam.

Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex Pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum, Sancte Thoma.

Qua absoluta duo Beneficiati, Pluuialibus induti, cantarunt versum. *Dispersit dedit pauperibus.*

Et Cantores responderunt. *Iustitia eius manet in seculum seculi.*

Mox Hebdomadarius Canonicus Pluuiali pariter indutus, duobus Acolytis ante ipsum candelabra sustinentibus, cecinit Orationem. *Deus qui Beatum Thomam insignis &c.* Et Cantores responderunt, *Amen.*

Tunc amotis legile, & candelabris, Confraternitates, & Religiosi Mendicantes procedere inceperunt, transeuntes bini ante Altare Apostolorum, eiquè singuli genuflectentes, exceptis tantùm, qui Cruces, Vexilla, & Candelabra gestabant.

Ferentes autem Vexilla S. Thomæ, scilicet, Confratres Societatis S. Triphonis erectæ in Ecclesia S. Augustini, sustinentes hastas, & Confratres Societatis Sanctissimi Sacramenti erectæ in Basilica Vaticana, sustinentes chordulas è Vexillo pendulas, cum ad Hebdomadarium in consueto scamno sedentem in Cornu Epistolæ peruenissent, stiterunt se se: & Hebdomadarius assurgens, chordulas acceptas è manibus Confratrum tradidit quatuor fratribus Planeta indutis, qui ad Hebdomadarium ipsum immediatè ante, ac propè Vexilla accesserant. Vltimi verò Vexilli attributis chordulis Patribus Vicario Generali, Assistentibus Italiæ, & Hispaniæ, & Priori Sancti Augustini pluuiali indutis, Hebdomadarius thus in thuribulum posuit: quo interim Clerici Seminarij, Clerici, Beneficiati, & Canonici Basilicæ funalia gestantes, præeunte Cruce Capitulari, post fratres Dominicanos, procedere inceperunt. Hebdomadarius autem stans, tribus ductibus reuerenter thurificauit Imaginem Sancti Thomæ in Vexillo delineatam, mox illam flexis genibus adorauit, & inde, post omnes, ad Sacrarium cum suis Assistentibus se recepit.

Clerus, & Capitulum Basilicæ ab vltimo gradu schalarum ad Portam extrinsecùs, ordine retrogrado hinc inde se se disposuere, & genuflexi pertranseuntem Imaginem Sancti venerati sunt, & ad Sacrarium redierunt.

Processio autem ordine, quo sequitur, progressa est per Pontem S. Angeli, Montem Iordanum, Parionem, plateam nuncupatam Pasquini, per viam, quæ ducit ad Ecclesiam de Anima, per plateam Turris Sanguineæ ad Ecclesiam S. Augustini.

Præibant Tympanistæ Populi Romani.

Paraphrenarij Cardinalium, cum funalibus.

Tubicines Populi Romani.

Crux Fratrum S. Augustini delata à Fratre cotta induto, medio inter alios fratres eodem habitu amictos, deferentes candelabra cum cereis accensis.

Confratres Societatis S. Triphonis erectæ in Ecclesia S. Augustini cum funalibus.

Crux Confratrum eiusdem Societatis.

Chorus Cantorum.

Crux

Crux Fratrum Reformatorum Ordinis S. Augustini media inter Fratres deferentes candelabra.

Fratres Reformati bini.

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Vexillum eorumdem Fratrum Reformatorum, cuius hastas deferebant Confratres eorum Societatis, & chordulas fratres digniores eiusdem ordinis planeta induti.

Quatuor subindè Pueri orphani cum funalibus.

Chorus Cantorum.

Crux Fratrum S. Augustini Congregationis Insubrum, & Cœnobij S.Mariæ de Populo media inter candelabra.

Fratres S. Mariæ de Populo bini.

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Vexillum eorumdem Fratrum delatum à Confratribus eorum Societatis, ac respectiuè à dignioribus fratribus eiusdem Cœnobij.

Quatuor subindè Pueri orphani cum funalibus.

Chorus Cantorum.

Fratres S. Augustini bini.

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Primum Vexillum Fratrum S. Augustini delatum à Confratribus S.Triphonis, & à Fratribus S. Augustini Casula indutis.

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Chorus Cantorum.

Crux Fratrum de Obseruantia inter candelabra.

Fratres de Obseruantia bini:

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Vexillum Collegij S.Ildephonsi Academiæ Complutensis, delatum à quatuor Dignioribus Fratribus de Obseruantia planeta indutis.

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Chorus Cantorum.

Crux Fratrum Carmelitarum cum candelabris vt supra.

Fratres Carmelitæ bini.

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Secundum Vexillum Fratrum S. Augustini delatum ab eisdem Fratribus, casula indutis.

Qua-

Quatuor ſubinde Pueri orphani cum funalibus.

Chorus Cantorum.

Crux Fratrum Seruitarum cum candelabris vt ſupra.

Fratres Seruitæ bini.

Quatuor Pueri orphani cum funalibus.

Tertium Vexillum Fratrum S. Auguſtini delatum ab eiſdem Fratribus.

Quatuor ſubinde Pueri orphani cum funalibus.

Chorus Cantorum.

Crux Fratrum Prædicatorum inter candelabra vt ſupra.

Fratres S. Dominici bini.

Duodecim Paraphrenarij Papæ induti veſtibus rubeis cum funalibus.

Quatuor fratres S.Auguſtini cum Cottis,& candelabris,bini.

Tres alij Fratres eodem habitu induti, duo geſtantes, ac ducentes thuribula, tertius deferens nauiculam incenſi.

Quartum, ac dignius Vexillum delatum à P.Vicario Generali, & reliquis prædictis.

Octo Paraphrenarij Papæ pariter induti veſtibus rubeis cum funalibus.

Hinc inde triginta milites Heluetæ cuſtodiæ Sanctiſſimi cum alabardis.

Mandatarij verò Eminentiſſimi Card. Vicarij,clauas præ manibus geſtantes proceſſionem diuiſim dirigebant.

In platea S.Petri, milites Helueti ænea tormenta: & in Caſtro S. Angeli milites, arcis mœnia cuſtodientes, ſclopos exploſerunt.

Cum verò Proceſſio ad Eccleſiam S. Auguſtini perueniſſet: Religioſi omnes in Naui maiori Eccleſiæ hinc inde ſeſe diſpoſuerunt.

Vltimo autem, ac digniori Vexillo Eminentiſſimus D. Cardinalis Sabellus Titularis, indutus alba, cingulo, ſtola, pluuiali, & mitra, medius inter Diaconum, & Subdiaconum Cappellæ Pontificiæ, dalmatica, & tunicella indutos: necnon a permultis Præſulibus Curiæ comitatus, ex Eccleſia prodiens vſquè ad gradus venerabundus occurrit: & genuflexus ſuper tapete ſtratum, & puluinare, Sancti Thomæ Imaginem adorauit, mox illam thurifica-

rificauit, & reassumptà mitra, in Ecclesiam regressus, ad Altare maius se contulit, ante Vexillum incedens: quod delatum fuit vsque ad medium Ecclesiæ, ibique fuit alligatum, ad fornicem eleuatum est, stante interim Cardinale propè cornu Epistolæ. Et cum primùm Fratres Vexillum eleuare cœpissent, Cardinalis stans ibidem, versus ad Crucem Altaris intonauit Hymnum, *Te Deum laudamus*, quem Cantores prosecuti sunt. Circa finem Hymni, Cardinalis posuit thus in thuribulum, & rursus tribus ductibus Vexillum thurificauit, Hymnoquè absoluto, Diaconus cecinit versum. *Ora pro nobis Sancte Thoma*. & Cantores responderunt, *Vt digni efficiamur promissionibus Christi*. Cardinalis verò cecinit Orationem. *Deus, qui Beatum Thomam &c. Per Christum Dominum nostrum*, Et Cantores responderunt, *Amen*.

Tandem Cardinalis osculatus est Altare, & sumpta mitra, stans medius apud illud, solemniter Populo benedixit. Et tunc bellica tormenta explosa fuere: & tubarum clangor, ac tympanorum reboatus Processionis hisce solemnijs gloriosum finem imposuere.

Reliquis verò septem diebus, musicis concentibus, sacrificijs, Diuinis precibus, officijs, & concionibus solemnia sanctæ Canonizationis magnifico etiam cum apparatu, munifica Cardinalis Sabelli Titularis manu adiutrice, Fratres recoluere.

Ecclesia enim extrinsecùs ingenti S. Thomæ Icona, nec non Insignijs gentilitijs Sanctissimi Domini Nostri, Catholicæ Maiestatis, Regni Valentiæ, & Ordinis Eremitarum Sancti Augustini; intrinsecùs autem vndique peristromatis, ac pretiosissimis aulæis obducta erat.

Inter maiores fenestras, attalicis pariter aulæis, & ad fornicem vsquè, peristomatis purpureis, auro perfusis, parietes tegebantur.

Ex Arcubus Hemisphærium sustinentibus, tres ingentes Sancti Thomæ Imagines, pendebant.

Quatuordecim ingentes tabulæ affabrè pictæ, aureisquè ditatæ lineis, in quibus heroicæ Thomæ virtutes expressæ cernebantur, Arcus exornabant. Totidemquè Insignia, ad virtutes ipsas aptè nedum alludentia, quàm eas elegantèr explanantia, Sapientum animis, vt æquè omnium oculis iucundissima, se se offerebant:

bant: quibus Templum Sancti Augustini, Sacrum Virtutibus, quæ in Thoma floruere omnes, nouum Pantheon exprimebatur: vt enim antiquum, Kalendis Nouembris, Sanctis omnibus à Bonifacio IV. dicatum eluxit, ita nouum hoc, Sanctorum omnium virtutum summa, vtpotè Thoma auctum ab Alexandro VII. clariùs enitebat.

Et hinc sacris solemnijs, eorumquè narrationi

FINIS.

